Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Thomas von Kempen Mátyás Bél

Thomae a Kempis De Imitando Christo Libri Tres

Nunc denuo edidit Matthias Belivs, qui etiam De genuino eoque Euangelico Imitationis Christi Principio præfatus est, Lipsiae: Apud Samuelem Beni. Waltherum, MDCCXXV.

https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1857201116

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1857201116/phys_0001
DFG

Gertrudis u. Tommerfeld.

5 Tafeln.

Fm-4593.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1857201116/phys_0002
DFG

Ven. Viri

de Imitatione Xti Libri IV.

editio adcurata

Solisbaci

typis et impensis Seidelianis

1815.

(Duodec-Ausgabe).

Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis



Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1857201116/phys_0003
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1857201116/phys_0006
DFG

THOMAE a KEMPIS
DE
IMITANDO CHRISTO
LIBRI TRES.
SEBASTIANVS CASTELLIO
Latinitate puriore donauit.
Accedit
LIBER QVARTVS
DE SACRAMENTO
vulgo inscriptus.
Nunc denuo edidit
MATTHIAS BELIVS;
qui etiam
De genuino eoque Euangelico
Imitationis Christi Principio
præfatus est.

LIPSIAE
Apud Samuelem Beni. Waltherum.
M DCC XXV.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1857201116/phys_0007
DFG

Bibliotheca Academiae Rostochiensis

1913/4 G 305

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1857201116/phys_0008
DFG

Lectori, Christum Imitaturo, *Gratiam, Misericordiam, Pacem!*

PVlchra & salutaris, sed ardua profecto res est, IMITATIO CHRISTI, neque præstanda aliter, quam, si eius, quem constituisti imitandum, spiritu ducaris: quo sine, inanis conatus erit; tametsi omni cura, viriumque contentione, susceptus. Nam, aut seipsum, imitator huiusmodi, tædioso, atque irrito labore, conficiet; aut, quod procliue admodum est, in simulationem vitæ ac virtutum IESV CHRISTI, ausu maligniſſimo, de-

sinet, eaque ratione, CHRISTO, non modo non euadet similior; sed multis etiam modis, seipso deterior. Quam ob rem, cum aureo huic libello, a) qui iterum iterumque prodit, habitu latiniore, iam pridem, a SEBASTIANO CASTELLIONE, donatus, præfandum nonnihil est, quod cum eius argumento quadret, neque non pio lectori, vtile sit atque salutare: non ab re me facturum puto, si de *genuino*, eoque *Euangelico* IMITATIONIS CHRISTI, *principio*, ea adtulero, quæ non modo puriori doctrinæ sint consentanea; sed etiam, quæ arduum ex se opus, expeditum reddant, & cum diuina quadam voluptate, coniunctum.

§. II. Et initio quidem, fateamur oportet, nihil nobis, post tristem, primorum parentum lapsum, inesse, quod

a) *Sic eum iure optimo vocat* Celeberr. I. F. Buddeus, *Theol. Moral.* P. I. cap. V. §. 39.

quod de IMITANDO CHRISTO, vel cogitationem, efficacem puta, ſuſcipere poſſit: vniuerſam contra *veteris Adami*, indolem, aduerſam ei eſſe, atque extra modum inimicam; adeo labes illa, vires omnes ſpirituales, non ſuccidit modo, ſed & peſſum dedit, ſuſtulitque penitus. Nam, quod legis, ſiue comminationibus, ſiue promiſſionibus etiam, quomodocunque expergefacta natura, ſubinde mentiatur virtutis quidpiam; id vero alieniſſimum eſt ab IMITATIONE CHRISTI, quippe quæ non coactione, ſicuti legis opera; ſed ſpiritu perficitur ſpontaneo; neque abſoluitur externa virtutis ſimulatione; ſed intima renouatione mentis, ad conſummatiſſimum SERVATORIS exemplar, pro gratiæ diuinæ modulo, etiam atque etiam exigenda. Proinde, tenendum eſt diſcrimen, *Legalis*, vt ita eam vocem, & *Euangelicæ*, IMITATIONIS CHRI-

STI: vtraque enim, officiis non minus, quam agendi principiis, distinguitur. Illa namque, ex spiritu mundi; hæc, ex lege mentis, & SPIRITVS CHRISTI, b) promanat: turgescit illa, meritorum, & propriæ iustitiæ, opinione; hæc in paupertate spiritus, c) cum intima suæ indignitatis conscientia, perficitur: *Cainiticos* illa *sanctulos*, d) hoc est, hypocritas efficit; hæc vero, quia spiritu fidei, salutis ordini solicitissime inhæret, συμμόρφες τῆς εἰκόνος τᾶ χριςᾶ: e) vt discriminis momenta reliqua, taceamus.

§. III. At enim vero, deprauata sic, per lapsum, natura, vnde quæso *genuinum* illud, atque *Euangelicum*, Imitationis Christi, *principium* erit depromendum? Ipse respondet SERVATOR: *Nemo potest venire ad me, nisi*

b) Lib. Symb. p. 722. lin. 9. c) Matth. V, 3. d) Lib. Symb. p. 721. sub fin. e) Rom. VIII, 29.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1857201116/phys_0012
DFG

nisi pater, qui me misit, eum trahat. f) Igitur, trahi oportet, a patre luminum & misericordiæ; sed trahi tamen efficaciter, ne sequi recuses, verum, flexa in obsequium voluntate, curras, gradu, etiam concitatiore: iuxta illud Sponsæ CHRISTI: *Trahe me post te, curremus!* g) Dices; violentum id esse, & alienum a natura Euangelii, si trahi oporteat, ad rem, ex se expetendam. Præclare AVGVSTINVS: h) *Si trahitur aliquis, invitus venit: si inuitus venit; nec credit, nec venit. Non enim ad Christum ambulando currimus; sed credendo. Quomodo ergo voluntate credo, si trahor? Ego dico: parum est voluntate, etiam voluptate traheris. Quid est trahi voluptate? Delectare in Domino, & dabit tibi petitionem cordis tui. Est quædam voluptas cordis, cui panis dulcis est ille cœlestis. Porro, si poetæ dicere*

f) Iob. VI, 44. g) Cantic. I, 4. h) Tractatu XXVI. in Iohannem.

cere licuit: trahit sua quemque voluptas: non necessitas; sed voluptas: non obligatio: sed delectatio: quanto fortius nos dicere debemus: trahi debemus ad Christum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur iustitia, delectatur sempiterna vita, quod totum Christus est. An vero habent corporis sensus voluptates suas, & animus deseritur a voluptatibus suis? Si animus non habet voluptates suas, vnde dicitur: Filii autem hominum sub tegmine alarum Tuarum sperabunt. Inebriabuntur ab vbertate domus Tuæ, & torrente voluptatis Tuæ, potabis eos. Porro, ibidem: *Ramum*, inquit, *viridem ostendis oui, & trahis illam. Nuces puero demonstrantur, & trahitur. Et quia, quo currit, amando trahitur, sine læsione corporis trahitur, cordis vinculo trahitur.* Ne vero *fanaticam* forte quis *tractionem* obiiciat diuinissimo doctori, addit: *Omnis, qui audit a patre & didicit, venit ad*

me

me. Videte quomodo trahit pater! docendo, delectando, non neceſſitatem imponendo. Ecce quomodo trahit? erunt omnes dociles Dei: trahere Dei eſt. Iſta egregie gratiam Euangelicam dulcedinemque eius illuſtrant, quam *Tractio* illa *Patris*, ſecum vehit, impertiturque non renitentibus.

§. IIII. Excitata, eum in modum voluntate, atque *præuenientis*, *præparantis*, & *operantis* gratiæ, ſuauiſſimo guſtu, intime delibuta, quin & naſcentis inde fidei igniculis, accenſa, CHRISTVM, tenerrimo primum adfectu, deſiderare, mox & paſſis quaſi manibus, prenſare, incipimus; dum fide, quæ eſt ἐνέργεια τῦ Θεῦ, i) adprehendamus EVM penitus, atque ita noſtrum faciamns, tamquam, qui ſolis nobis datus, *factusque a Deo ſit, ſapientia, iuſtitia, & ſanctitas & liberatio.* k) Quæ demum TRACTIO PATRIS completa dici poteſt: quod

i) Coloſſ. II, 11. k) 1 Cor. I, 30.

& fidem in nobis excitauit, pœnitentiæ ordinem ſubeuntibus; & eiusdem fidei beneficio, ad CHRISTVM nos adduxit, in remiſſionem peccatorum, & iuſtitiam, nobis imputatum. Tunc vero, *iuſtitiæ*, apud animum, *fructus*, *pax eſt*, *& cultus æquitatis*, *quies*, *atque ſecuritas æterna*. l) Nimirum: *iuſtificati fide*, *pacem habemus cum Deo*, *per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum*. m) Hoc eſt: purgata, ab operibus mortuis, ſanguine IESV CHRISTI, conſcientia, n) reconciliataque Deo, per EIVS ſatisfactionem, fide adprehenſam, ineffabilis, apud animum, exoritur tranquillitas, cum intimo adoptionis teſtimonio, coniuncta. Ex vtriusque porro guſtu, tamquam ex perenni quadam ſcaturigine, diuina ſuauitas, delectatioque cæleſtis, perfundit mentem, quippe, caritate Dei, in animis noſtris dimanan-

l) Eſaiæ XXXII, 17. m) Rom. V, 1.
n) Hebr. VIIII, 14.

nante, per Spiritum ſanctum, nobis datum. o) Hic demum animæ iuſtificatæ ſtatus, regni Dei, *quod eſt iuſtitia, pax & gaudium in Spiritu S.* p) capax exiſtit; immo, Deo, & Chriſto, eadem illa, qua iuſtificata fuerat, fide, reduita, vnus cum Deo fit ſpiritus, q) divinæ particeps indolis. r)

§. V. Hoc eſt *Principium* illud *Euangelicum*, quo duci nos oportet, ſi CHRISTVM, procul omni fuco, imitari cupimus, nempe, vt deducamur ad CHRISTVM PRO NOBIS, id eſt, noſtris peccatis traditum, reſuſcitatum autem pro iuſtitia noſtra; s) vtque iuſtificemur gratis, gratia ipſius, per redemtionem, quæ eſt in CHRISTO IESV, quem propoſuit Deus propitiatorium, per fidem, in ipſius ſanguine; t) atque adeo, ex eius plenitudine accipiamus gratiam

o) Rom. V, 5. p) cap. XIIII, 17. q) 1 Cor. VI, 17. r) 2 Pet. I, 4. s) Rom. V, 25. t) cap. III, 24. 25.

pro gratia. u) Isto enim ordine, lex spiritus vitæ in CHRISTO IESV, liberat nos a lege peccati & mortis; v) *Ego*, inquit, PAVLLVS, x) *per legem, legi mortuus sum, vt Deo viuerem: cum* CHRISTO *enim crucifixus sum. Viuo autem non amplius ego; sed viuit* IN ME CHRISTVS. *quod vero nunc viuo in carne, fide viuo Filii Dei, qui me dilexit, & tradidit seipsum* PRO ME. Ita, idem ille, CHRISTVS, quem Deus, ignarum peccati, PRO NOBIS, fecit peccatum, vt nos fiamus iustitia Dei, y) per fidem, habitat in cordibus nostris, z) nos

u) Ioh. I, 16. v) Rom. VIII, 2. x) Gal. II, 19. 20. y) 2 Cor. V, 21. z) Ephes. III, 17. Apage, fanaticas eorum opiniones, qui aut alium IN NOBIS Christum, quam qui PRO NOBIS datus est, comminiscuntur; aut Christo, PRO NOBIS, sine vera fide, gloriantes, eius IN NOBIS efficacem inhabitationem, negant, saltem sugillant: diuitiarum mysterii huius inter gentes, qui

nos Spiritu suo impertiens ducensque. a) Enim vero, si qui Spiritum CHRISTI non habet, non est ipsius. Sin vero CHRISTVS IN NOBIS est, corpus quidem mortuum est, per peccatum; sed spiritus viuus est, per iustitiam. b) Quare, si quis est IN CHRISTO, is noua est creatura. Vetera transierunt; ecce noua facta sunt omnia! hæc vero omnia ex Deo, qui reconciliauit nos sibi ipsi, per IESVM CHRISTVM. c)

§. VI. Ex hoc igitur mentis, Deo reconciliatæ, habitu, eiusque cum CHRISTO communione, longe suauissima, IMITATIO CHRISTI sponte consequitur, neque externarum actionum qualicunque similitudine, verum φρονήματι τῦ πνεύματος τῦ χριςῦ, d) absoluitur. Ad

 hoc

est *Christus* IN NOBIS, spes gloriæ. Colos. I, 27. ignari prorsus & expertes.

a) Rom. VIII, 14. b) l. c. v. 10. c) 2 Cor. V, 17. 18. d) Rom. VIII, 6. 9.

hoc enim se vocatos credunt, qui sunt CHRISTI, e) vt, siquidem CHRISTVS, passus est PRO NOBIS, exemplum nobis relinquens, subsequantur vestigia eius, f) armenturque mente eadem, quæ erat in CHRISTO, supplicium pro nobis passo, iuxta illud PAVLLI: g) *Sic animati esse debetis, vt Christus Iesus.* Neque autem oneri est amplius, ad hunc modum, indole atque mente Iesu Christi donatis fidelibus, *Imitatio* istlhæc, quippe, in gremio Seruatoris edoctis, *iugum eius suaue, & onus eius leue esse.* h) Quinimmo, quo solertius curatiusque insistunt vestigiis IESV CHRISTI, eo vberiorem gratiam, sibi, per fidem, ex plenitudine eius, obtingere, persentiscunt. Qua illi, novarum, Spiritus, virium, accessione, ita redduntur alacres lætique, vt vltro ac

e) Gal. V, 24. f) 1 Petr. II, 21. g) Phil. II, 5. coll. 1 Pet. IIII, 1. h) Matth. XI, 30. 1 Ioh. V, 3.

ac lubentes, *seipsos abnegent, tollantque crucem suam quotidie, & sequantur eum.* i) Neque id solum, sed gloriantur etiam in calamitatibus, k) gaudentque, quod passionum CHRISTI participes sunt, vt etiam in reuelatione gloriæ eius, lætitia queant exsultare. l) Itaque, quæ vera sunt, quæ grauia, quæ iusta, quæ casta, quæ amabilia, quæ fausta, si qua virtus, & si qua laus est, ea cogitant. m) Omnia enim poterunt, per eum, qui eos corroborat, CHRISTVM: n) quippe qui vires dat defessis, infirmisque robur auget. quum namque iuuenes lassitudine laborent, labefactatique cadant adolescentes, qui in IEHOVAH spem habent, viribus adolescunt, quasi aquilinis pennis sublati; neque currentes delassantur, neque defatigantur ambulantes. o)

§. VII.

i) Luc. IX, 23. k) Rom. V, 3. l) 1 Pet. IIII, 13. m) Phil. IIII, 8. n) ibid. v. 13. o) Esaiæ XXXX, 29. 30. 31.

§. VII. Longum foret, neque, siue ad molem libelli, quem edimus, siue ad præfationis, quam breuem scribere constituimus, mensuram pertinens, singulas, IMITATIONIS IESV CHRISTI, partes, Scriptura præeunte, enarrare. Paucis rem expediemus. Nimirum, quemadmodum fides, TOTVM CHRISTVM, tamquam *sapientiam*, *iustitiam*, *sanctificationem & redemtionem nostram*, in rigoroso Dei iudicio, amplexa, sibi adplicuit in iustificationem; ita, TOTVM CHRISTVM, quatenus nobis in EXEMPLVM a Patre datus est, post acceptam iustificationis gratiam, imitando nititur exprimere, collatis Spiritus S. viribus, subnixa. Grauiter, passim in operibus suis, monet B. LVTHERVS; CHRISTVM, fide complectendum esse, ante omnia quidem, tamquam DONVM DEI, qnod nobis ad iustificationem datum est; tum vero etiam, tam-

tamquam EXEMPLVM, ad imitandum propositum omnibus, qui eius gratia saluati sunt. Digna sunt eius verba, p) quæ ex Germanico, latine facta, ne nimium dixisse videamur, heic legantur: *Caput*, inquit, *& summa Euangelii hæc est, vt* CHRISTVM, *primo, & antequam eum in* EXEMPLVM *tibi proponas, tamquam gratuitum atque diuinitus concessum* DONVM *agnoscas & amplectaris, idemque tibi ita proprium facias, vt si videris audiuerisue, eum, siue pati, siue agere quidpiam, certissime persuasus sis,* CHRISTVM *ipsum, id agentem, aut patientem, tuum esse, vt eo non minus niti possis, ac si tu ipse idem præstitisses, immo idem ille* CHRISTVS *esses.* Et post pauca: *Posteaquam vero* CHRISTVM *ad eum modum indeptus es, in tuæ fundamentum salutis, & huius summum bonum; alterum illud consequitur, vt* EVM, *tamquam* EXEMPLVM *complectaris, teque*

ad

p) In Præfat. Postill. Eccles.

ad seruiendum, proximo haud secus impertiaris, quam vides CHRISTVM, *tibi seipsum impertitum esse. Tunc vero fides & caritas in iugi esse incipient exercitio; verbum Dei implebitur, ipseque homo lætus atque impauidus euadet, ad agendum patiendumque omnia. Igitur, probe noueris,* CHRISTVM, *qua* DONVM DEI, *fidem tuam alere, teque efficere Christianum;* CHRISTVM *autem, qua* EXEMPLVM, *opera tua prolicere; quæ haud quidem Christianum te reddunt; sed ab eo, qui iam factus sit Christianus, proficiscuntur.* Ista B. LVTHERVS, quæ adscribere placuit, in eorum gratiam, qui LVTHERVM crepant quidem, sed neque legunt, neque, quod is pie, & ex vero docuit, satis expendunt.

§. VIII. Tantum vero abest, vt ista, quam hucusque commendauimus, CHRISTI IMITATIO, hominem suæ fidentem iustitiæ, aut per-

perfectionis inani quadam opinione, superbientem reddat, vt potius in PAVLLI sententiam haud inuitum pertrahat, dum, *quæ mihi*, inquit, *lucra erant, ea, propter* CHRISTVM, *pro damno habui. Quinimmo, omnia damnum esse puto, propter cognitionis* CHRISTI IESV, *Domini mei, præstantiam, propter quam omnium iacturam feci, eaque, pro stercoribus habeo, vt* CHRISTVM *lucrer, & inueniar in ipso, non habens meam iustitiam, quæ ex lege sit; sed eam, quæ ex fide* CHRISTI: *iustitiam inquam, quæ ex Deo datur fidei. Vt cognoscam ipsum, & virtutem resurrectionis ipsius, & communicationem passionum ipsius, ita, vt conformis fiam morti ipsius: si quo modo occurram in resurrectionem mortuorum; non quod iam consequutus sim, aut iam perfectus; sed persequor tamen, vt comprehendam, in quo etiam adprehensus sum, a* CHRISTO IESV, *Fratres!*

tres! ego me nondum consequutum esse arbitror: verum tamen, quæ sunt a tergo obliuiscens, & ad anteriora me intendens, ad scopum contendo, ad palmam, ad quam superne vocatus sum diuinitus, per CHRISTVM IESVM. q) Talis imitatoribus CHRISTI, sinceris, & alienis a simulatione, mens, contentio atque studium, tale est. vt ferenda haud sit eorum criminatio, qui sectatores IESV, de genuinis loquor, nunc *pharisaismi* reos peragunt, nunc errorum insimulant, a fidei, qua sunt, diuina simplicitate abhorrentium. Nempe, seculum viuimus, cui nihil suspectum magis est, magisque exosum, quam IMITATIO CHRISTI, etiam ad præscriptum verbi diuini, curate & sollicite suscepta: adeo verum est PAVLLI illud: r) *Omnes, qui volent* IN CHRISTO IESV *pie viuere, insectationem patientur.* Iucunda nihil

q) Phil. III, v. 7. sqq. r) 2 Tim. III, 12.

nihilominus, expedita, & erroris periculo vacua, ad imitandum CHRISTVM, via est, rite, atque in eo, quem monstrauimus, ordine, connitentibus: quippe quam CHRISTVS ipse descripsit, & ne sit in errorem procliuis, suo ipsius exemplo, definiuit: EGO *sum*, inquit, VIA, VERITAS & VITA. s) VIA est, cui insistendum vnice; VERITAS, qua prælucente, porro eundum; VITA, ex cuius spiritu, vitalis illa gratia, & ad pergendum ardor indefessus, fide, sine cessatione, depromendus est; vt depositio omni onere, & ambiente nos peccato, patienter decurramus propositum nobis certamen, spectantes in fidei ducem perfectoremque IESVM. t)

§. VIIII. Hæc ad nouam istam libelli editionem, præmonenda erant; partim, vt constaret Lectori, quo animo, [illegible] ad modum præparato, accedere

s) Ioh. XIIII, 6. t) Hebr. XII, 1. 2.

dere debeat ad CHRISTVM imitandum; partim, vt palam testaremur, non alia mente libellum hunc nos siue edere, siue commendare, quam qua eum iam pridem commendauerunt, summi, inter nostrates, Theologi: B. *Lutherus*, *Arndius*, *Gerhardus*, *Höpffnerus*, *Hildebrandus*, *Olearius*, *Spenerus*, *Fabricius*, *Buddeus*, reliqui. Certe, quod a revelati *Verbi Dei* regula, & qui ad eam exacti sunt, *Libris* Ecclesiæ nostræ Euangelicæ, *Symbolicis*, quorum tenacissimi sumus, recedit, id numquam, vel nostrum faciemus ipsi, vel aliis commendabimus; tametsi magna cum veritatis, tum pietatis etiam specie, commendari posse videatur. Atque hac quidem mente, dignissimum existimamus libellum hunc, qui ad lucem sacrarum litterarum, sæpe iterumque legatur, relegaturque: ita, & officiorum, ad IMITATIONEM CHRISTI necessariorum plenus

est,

est, & simplici quodam, atque ingenuæ spiritu, adfluens, vt maligniſſimæ voluntatis esse oporteat, qui a lectione eius non discedat melior, saltem, de salute sua sollicitior.

§. X. Ceterum, ne ignores, amice Lector, quid in noua hac editione libelli sit præstitum, sic habe: excusam eam esse ad præscriptum accurati exemplaris, quod anno 1685. Cantabr. forma, quam duodecimam vocant, prodiit; *Gothana & Francofurtensi* editionibus, quam diligentissime, consultis: vt exemplar Tibi pollicerí queas, accuratione, quam fieri potuit, maxima, exscriptum, quod adsperſæ passim icones, typi elegantes, nitida charta, moles adhæc libelli concinna, mirum in modum commendant. Hæc vero omnia, Bibliopolæ, sumtus facienti, in acceptis ferenda sunt. Sed interpretationem SEBASTIANI CASTEL-

STELLIONIS in primis delegimus, vt hi, quibus purior dictio curæ est, etiam latina legendo, gustu, cælestis gratiæ, adliciantur, ad CHRISTVM, eo, quem monstrauimus, ordine, omni cura & studio, imitandum. Faxit DEVS, vt hæc destinatio nostra, per CHRISTVM, bene vertat! Pisonii MDCCXXIIII. d. 10. Decemb.

IN-

INDEX CAPITVM.

Cap.	Lib. I.	Pag.
I.	*De mundanarum vanitatum contemtu*	5
II.	*De Modestia*	8
III.	*De doctrina veritati*	11
IIII.	*De prudentia in rebus agendis*	16
V.	*De sacrarum litterarum lectione*	17
VI.	*De animi perturbationibus*	19
VII.	*De vana spe fastuque fugiendo*	20
VIII.	*De cauenda familiaritate nimia*	22
VIIII.	*De obedientia & subiectione*	23
X.	*De cauenda familiaritate verborum*	25
XI.	*De pace consequenda, studioque proficiendi*	27
XII.	*De vtilitate rerum aduersarum*	31
XIII.	*De resistendo tentationibus*	32
XIIII.	*De vitando temerario iudicio*	38
XV.	*De caritatis operibus*	40
XVI.	*De tolerandis aliorum vitiis*	41
XVII.	*De solitaria vita*	44
XVIII.	*De exemplis sanctorum Patrum*	45
XVIIII.	*De exercitationibus hominis vere religiosi*	49

)()(

XX. *De*

XX. *De amore solitudinis & silentii* 54
XXI. *De stimulando animo* 59
XXII. *Humanæ miseriæ consideratio* 63
XXIII. *De meditatione mortis* 68
XXIIII. *De vltimo Dei iudicio, & pœnis peccatorum* 73
XXV. *De feruenti correctione totius vitæ nostræ* 79

Lib. II.

I. *De interiore hominis vita* 87
II. *De modestia & obedientia* 93
III. *De bono & placido homine* 94
IIII. *De mentis sinceritate, intentionisque simplicitate* 97
V. *De sui consideratione* 99
VI. *De bonæ conscientiæ lætitia* 101
VII. *De Iesu super omnia amando* 104
VIII. *De familiari amicitia Iesu* 107
VIIII. *De vacuitate solatii* 111
X. *De gratitudine erga Dei beneficia* 116
XI. *De paucitate amatorum crucis Iesu* 120
XII. *De Christi cruce ferenda* 123

Lib. III.

I. *De interiore Christi colloquutione cum interiore anima fideli* 134

II. *Veritatem intus loqui sine strepitu verborum* 136
III. *Dei verba submisse esse audienda, eaque a plerisque non ponderari* 138
IIII. *Precatio, qua diuina doctrina & religio imploratur* 141
V. *Veritatem modestiamque coram Deo colendam esse* 143
VI. *Dei laudatio, & de eius beneficiis gratiarum actio: itemque de vi amoris Dei* 146
VII. *De veri amatoris exploratione, & quomodo sit hosti resistendum* 151
VIII. *De Dei beneficiis modeste occultandis* 155
VIIII. *De seipso in Dei oculis parui faciendo* 159
X. *Omnia ad Deum, ceu ad finem vltimum, esse referenda* 16
XI. *Dulce esse, contemto mundo seruire Deo* 16.
XII. *Animi cupiditates examinandas ess & moderandas* 16
XIII. *De ratione patientiæ, & certamin aduersus cupiditates* 17

XIIII. De *obediendo maioribus, exemplo Iesu Christi* 173
XV. De *occultis* Dei *iudiciis considerandis, ne bonis expellamur* 175
XVI. *Quo animo esse, & quid dicere oporteat in rebus expetendis* 178
XVII. *Preces ob* Dei *voluntatem exsequendam* 180
XVIII. *Verum solatium in solo* Deo *esse quærendum* 181
XVIIII. *Omnem solicitudinem esse* Deo *committendam* 183
XX. *Huius vitæ miserias Christi exemplo ferendas esse æquo animo* 185
XXI. De *iniuriarum tolerantia, & quemnam vere patientem esse constet* 188
XXII. De *infirmitatis suæ confessione, & huius vitæ miseriis* 191
XXIII. *In* Deo *supra omnia bona donaque adquiescendum esse* 194
XXIIII. De *tot* Dei *beneficiorum recordatione* 199
XXV. De *quatuor pacem conciliantibus* 203
XXVI. *Precatio aduersus malas cogitationes* 205

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1857201116/phys_0034
DFG

XXVII. *Preces ad mentis illuminationem obtinendam* 206
XXVIII. *De vitanda curiosa inquisitione in vitam alterius* 207
XXVIIII. *In quibusnam firma pax animi, verusque profectus consistat* 209
XXX. *De liberæ mentis excellentia: itemque supplicem precationem præstare lectioni* 211
XXXI. *Amore sui a summo bono maxime retardari homines* 214
XXXII. *Preces ad animi mundiciem, cælestemque sapientiam obtinendam* 216
XXXIII. *In maledicos* 217
XXXIIII. *In rebus aduersis quomodo sit invocandus laudandusque Deus* 218
XXXV. *De diuino petendo auxilio, & confidentia recuperandæ gratiæ* 220
XXXVI. *De spernendis omnibus rebus humanis, vt creator possit inueniri* 224
XXXVII. *De sui abnegatione, & omnis cupiditatis abdicatione* 228
XXXVIII. *De humani animi instabilitate,*

deque Deo sibi ante omnia proponendo 230

XXXVIIII. *Deum amanti supra omnia & in omnibus esse iucundum* 232

XXXX. *Hanc vitam nunquam a tentationibus esse tutam* 235

XXXXI. *Contra hominum vana iudicia* 238

XXXXII. *De pura integraque traditione sui, ad animi libertatem obtinendam* 240

XXXXIII. *De rebus externis rite administrandis, deque confugiendo ad Deum in periculis* 242

XXXXIIII. *Ne importunus sit homo in negotiis* 244

XXXXV. *Hominem nihil ex seipso habere boni, neque de vlla re gloriari posse* 246

XXXXVI. *De mortalis honoris contemtu* 250

XXXXVII. *Pacem sibi in hominibus non esse collocandam* 251

XXXXVIII. *In vanam secularemque scientiam* 252

XXXVIIII. De *non attrahendo ad se res exteriores* 256
L. *Non omnibus esse credendum: itemque de facilitate lapsus verborum* 257
LI. De *habenda in Deo confidentia, si maledictorum iaculis appetare* 261
LII. *Ob æternam vitam omnia grauia esse toleranda* 265
LIII. De *æternitatis die, & huius vitæ angoribus* 268
LIIII. De *æternæ vitæ desiderio, & quanta sint certantibus bona promissa* 273
LV. *Quemadmodum malis pressus homo sese Deo tradere debeat* 279
LVI. *Humilibus operibus insistendum esse, quum deficitur a summis* 284
LVII. Debere *hominem non consolatione, sed verberibus dignum se existimare* 286
LVIII. Dei *fauorem cum iis, quorum mens terrestris est, nihil habere negotii* 289
LVIIII. De *naturæ & gratiæ motibus diversis* 292
LX. De *naturæ corruptione, & diuinæ gratiæ viribus* 299

LXI. *Nos ipsos abnegare, Christumque per crucem imitari debemus* 304
LXII. *Ne nimium deiiciatur homo, si quando in aliquod delictum lapsus est* 307
LXIII. *De altioribus rebus, occultisque Dei iudiciis non scrutandis* 310
LXIIII. *Omnem spem & fiduciam in solum Deum esse defigendam.* 317

Lib. IIII.

Ad corporis & sanguinis Christi communitatem exhortatio 320
I. *In communitate quanta sit aduersus Christum adhibenda reuerentia* 321
II. *De amore, quo Deus homines in cœna prosequitur* 331
III. *Quod facis, id vt sæpissime facias, tua refert maxime* 336
IIII. *In rebus Christi cælestibus omni vbertate diuina fortunabuntur rite communicantes* 339
V. *De mysterii dignitate, deque statu, quem obtinent sacris præfecti* 345
VI. *Ante quam panem frangimus, disquisitio* 347

VII. *Mores quisque suos corrigere debemus, & diligenter expendere* 349
VIII. *De oblatione Christi in cruce, quam vbi recte perpendimus, omnem voluntatis nostræ sensum renuntiamus* 353
VIIII. *Et ipsi nos, & quidquid nostrum est, offerre Deo debemus: item summopere noctes ac dies, quantum spectat ad omnium salutem, orare* 355
X. *Ad cœnam Domini quod attinet, vbi parata sunt omnia, non temere debemus nos excusare* 358
XI. *Animæ fidenti nihil perinde gratum, acceptumque esse posse, ac Christi corpus, & S. scripturam* 364
XII. *Omni cura, studioque præparare se debere rite communicaturum* 370
XIII. *Id frangendi panem est in votis antiquissimum, vt vnus quasi animus in eucharistia fiat cum Christo* 374
XIIII. *De fidentium quorundam ad Christi corpus recipiendum animo feruente* 379
XV. *Ardoris beneficium animi demissione suique denegatione obtineri* 381

XVI. *Vsus omnes nostros euoluendos esse Christo, & eius opem obnixe requirendam* 385

XVII. *Super amoris incendio, vehementissimoque studio Christum suscipiendi* 388

XVIII. *Arcanum Eucharistiæ docetur homo non tam minute perscrutari, quam humili penicillo, si posset assequi, Christum imitari, fidemque suam non in hominum sapientia, sed in Dei virtute collocare* 393

SEBA-

SEBASTIANI CASTELLIONIS
de sua hac translatione
PRAEFATIVNCVLA.

Libellum hunc conscripsit olim Latine Thomas *dictus de* Kempis, *quem nos* Kempisium *appellamus, natione* Germanus, *ordinis canonicorum regularium* Augustini, *qui claruit circa annum* cIↃ cccc x. *Editus est autem libellus hoc titulo: Libellus vere aureus de Christo imitando, ex fontibus sacræ potissimum Scripturæ excerptus, Auctore Domino* Thoma de Kempis. *Eum nostro tempore transtulit in Germanicum sermonem homo quidam, vt ego arbitror, pius, sæpiusque editus est hoc titulo:*

Nachfolgung Christi:
Wie man alle Eitelkeit dieser Welt verschmähen soll: Von einem wohlgelehrten Liebhaber GOttes vor viel Jahren beschrie-

schrieben, ietzt abermals fleißiger überl
sen, und von neuem ausgangen. Ho
est, Imitatio Christi, quonam pacto vi
tanda sit omnis huius mundi vanitas
Opus ante multos annos a quodam ben
docto & Dei amante conscriptum, &
nunc denuo recognitum ac recens edi-
tum.

Hunc ego libellum, quia pietatis ple-
nus, non mihi solum, sed & aliis piis
multis visus est, putaui de Latino in La-
tinum, hoc est, de agrestiore sermone in
paullo mundiorem, sed tamen simplicem,
esse conuertendum: in qua quidem mea
conuersione iudicium sequutus sum in-
terpretis Germanici. Omisit enim ille
prudens quædam, paucula etiam non-
nihil immutauit, quia illius vel tempo-
ris, vel status superstitionem sapiebant:
quod idem ego mihi faciendum esse iudi-
caui.

Restat, vt vtriusque mei facti, vide-
licet & quod transtuli, & quod sic trans-
tuli, rationem reddam. Erunt enim,

cre-

credo, quibus etiam ridiculum videbitur, librum de Latino in Latinum convertere. Alii in alieno opere quidquam mutare aut detrahere nefas esse iudicabunt. Quibus ego vtrisque breuiter respondebo.

Quod latiniorem feci, causſam habui hanc, quod multi latiniora libentius legunt: & ego homines ad piorum librorum lectionem omni licita ratione alliciendos esse censeo. Fingat me aliquis de Heluetica lingua in Sueuicam, hoc est, de Germanica in Germanicam transtuliſſe: nihil habebit ea res peccati: nonnihil etiam boni. Quod si cui hæc ratio non satisfaciat, non ero in meo facto defendendo vel diligentior vel curioſior: exſtat ipſe ſua lingua: per me legat, qui volet: ego volentibus, non nolentibus, tranſtuli. Eadem res eſt, aliter atque aliter veſtita: vtra quisque veſte delectabitur, ea vtatur, ego vel ineptire malo, quam non prodeſſe volentibus.

Quod ad alterum attinet, postquam Christi lux nostro seculo sic affulsit, vt multos errores & superstitiones detexerit, puto non nefas esse, nonnullos castrare libros, vt omnia probantes, quæ bona sunt, teneamus. Quod si cui hoc non placebit, faciat, quod solent in Martiali *Poeta multi. Castrauit eum quidam: quod eius factum casti omnes laudant, & castratum legunt: at salaces totum. Sic & hunc totum per me licet legant, quibus hæc improbatur castratio. Me quidem operæ meæ neque pudet, neque pœnitet, & eam nemini nocituram, nonnullis profuturam esse confido, Deumque, vt ita faxit, oro.*

Die V. Junii, Anno clɔ Iɔ LXIII.

DE


AVDIT ET SEQVITVR

DE IMITANDO CHRISTO

LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

De mundanarum vanitatum contemtu.

QVi me *ſequitur, non ambulat in tenebris, ſed vitæ lumen habet*: (a) Hæc Chriſti verba ſunt, quibus admonemur, vt eius vitam & mores imitemur, ſi vere colluſtrari, & ab omni cordis cæcitate liberari volumus. Quamobrem Chriſti vitam ſummo ſtudio meditari debemus.

II. Excellit ſane doctrina Chriſti omnem omnium ſanctorum doctrinam: & ſi quis eius ſpiritu præditus eſt, (b) is abditum ibi manna inuenit. Sed fit, *vt multi*, quia Chriſti ſpiritu

 carent,

(a) *Ioh. 8. v. 12.* (b) *Apoc. 2. v. 17.*

Universitäts Bibliothek Rostock https://purl.uni-rostock.de /rosdok/ppn1857201116/phys_0047 DFG

carent, ideo *ex frequenti euangelii auditione exiguam cupiditatem concipiant.* Enimuero si quis Christi verba plene & cum voluptate vult intelligere, huic necesse est, vt omnem vitam suam secundum illum componere studeat. (c)

III. Quid prodest ardua de Trinitate disputatio, si animi submissione careas, ideoque displiceas Trinitati? Enimuero non ardua dicta sanctum iustumque reddunt hominem, sed studiosa vita Deo carum efficit. Equidem *peccatorum pœnitentiam sentire, quam eiusdem definitionem tenere malim.* Si vel vniuersas sacras litteras, atque adeo philosophorum omnium dicta, memoria teneas, quid prosunt ista omnia sine Dei caritate & gratia? Vana vanitas, & omnia sunt vanitas, (d) præterquam Deum amare, eique soli seruire. Ea demum *summa est sapientia,*

(c) *Iob. 7. v. 17.* (d) *Eccl. 1. v. 2.*

entia, per mundi contemtum ad cæleſte regnum tendere. (e)

IIII. *Vanitas* eſt, perituras quærere diuitias, & in eis ſpem ſuam collocare. *Vanitas* eſt, & honores ambire, ac ſeipſum extollere. *Vanitas* eſt, & carnis cupiditates ſequi, eaque adpetere, quæ tibi deinde graues pœnas ſint allatura. *Vanitas* eſt, longam vitam optare, & interim bonam vitam parum curare. *Vanitas* eſt, præſentem duntaxat vitam intueri, & interim futura non præuidere. *Vanitas* eſt, ea diligere, quæ ſumma celeritate prætereunt, & illuc non feſtinare, vbi ſempiterna durat lætitia.

V. Memento frequenter illius proverbii: *Nec oculus viſu, nec auris expletur auditu.* (f) Quamobrem da operam, vt animum ab adſpectabilivm rerum amore abſtrahas, teque ad inadſpectabilia conuertas. (g) *Qui* enim *cupiditatibus ſuis obſequuntur,*

(e) 1. *Cor.* 1. *v.* 24. *ſeq.* (f) *Coh.* 1. *v.* 8. (g) *Col.* 3. *v.* 1. *ſeq.*

ii & animum ſuum peccatorum conſcientia contaminant, & Dei gratiam amittunt.

CAPVT II.

De Modeſtia.

SVnt omnes homines natura diſcendi cupidi: ſed *quid prodeſt ſcientia religionis expers?* (h) Eſt omnino vel viliſſimus agricola, ſed qui Deum colat, anteponendus ſuperbo Philoſopho, qui ſeipſo neglecto cæli curſum conſiderat. *Qui ſeipſum probe nouit, ſeipſum parui facit,* (i) *nec laudibus delectatur humanis.* Si vel omnia, quæcunque in toto orbe conſtant, ſciam, idemque Dei amore caream, quid mihi id profuturum eſt apud Deum, qui de me ex factis meis iudicaturus eſt? (k)

II. Superſede nimio diſcendi ſtudio,

(*b*) 1. *Cor.* 8. *v.* 1. 2. 3. (*i*) *Luc.* 18. *v.* 13. (*k*) 2. *Cor.* 5. *v.* 10.

dio, vtpote quod animum multum distrahat atque decipiat. Cupiunt enim ſuſpici docti, ſapientesque dici. Iam vero multa ſunt, quorum ſcientia animo parum, ne dicam nihil, prodeſt: & valde inſipiens eſt, qui aliis rebus incumbit, quam iis, quæ ad ipſius ſalutem conferunt. (l) *Non ſatiant animum multa verba, ſed mentem reficit vita bona*, præſtatque homini bene ſibi conſcius animus magnam ad Deum confidentiam. (m)

III. Quanto tu plura melioraque didiceris, tanto grauiores pœnas lues, niſi eo ſanctius vixeris. (n) Quamobrem noli vlla vel arte vel ſcientia inſoleſcere, quin potius *conceſſa tibi rerum cognitione timidior eſto*. (o) Quod ſi tibi multa ſcire multaque percepiſſe videris, ſcito, longe plura eſſe, quæ neſcias, ac ſuperbire noli, ſed potius i-

(l) *Matth.* 6. *v.* 33. (m) 1. *Cor.* 4. *v.* 3. 4. 2. *Cor.* 1. *v.* 12. (n) *Luc.* 12. *v.* 47. (o) *Rom.* 11. *v.* 21.

gnorantiam tuam agnosce. Cur tu te ceteris anteponas, cum multi te doctiores & legis peritiores reperiantur?

IIII. *Si vis vtiliter aliquid scire & discere, ama nesciri, proque nihilo haberi.* Nam sui ipsius vera cognitio & despectio, ea demum summa est, vtilissimaque eruditio, seque ipsum parui, alios magni facere, & in pretio habere, magna est sapientia atque perfectio. (p) Si quem aperte peccare, aut graue aliquod facinus perpetrare videris, non idcirco meliorem te debes existimare: nescis enim, quamdiu sis in virtute perseueraturus. (q) Sumus equidem omnes fragiles: (r) sed *fragiliorem te existimato esse neminem.* (s)

CAP.

(p) *Matth.* 18. *v.* 4. *cap.* 23. *v.* 8. *seq.* *Phil.* 2. *v.* 3. (q) *Rom.* 11. *v.* 2. 1. *Cor.* 10. *v.* 12. (r) *Iac.* 3. *v.* 2. (s) *Gal.* 6. *v.* 4.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1857201116/phys_0052
DFG

CAPVT III.

De doctrina veritatis.

FElix, *quem veritas non figuris vocibusque pereuntibus, sed ipsa per se, vti est, docet.* (t) Nam sæpe nos opiniones sensusque nostri fallunt, parumque valent. Quid prodest de occultis obscurisque rebus arguta disceptatio, quarum ignoratio nobis fraudi futura non sit in Dei iudicio? *Insignis sane stultitia est, quod neglectis vtilibus & necessariis, vltro incumbimus curiosis* & damnosis: vsque adeo oculis præditi, tamen non videmus.

II. Quid causſæ est, cur genera illa speciesque Dialecticas curemus? Quem enim æternus ille sermo alloquitur, is a multis opinionibus expeditur. (u) Nam ab vno sermone sunt omnia, & vnum loquuntur omnia, estque hoc principium illud, quod nos alloquitur, & sine quo nemo rite rem

(t) *Ioh. 8. v. 32.* (u) *Ioh. 6. v. 45.*

intelligit aut iudicat. *Cui vero omnia sunt vnum, quique ad vnum trahit omnia, & in vno videt omnia, is & animo esse constanti, & in Deo perpetuo acquiescere potest.* (x) O veritatis Deus, fac me vnum tecum in caritate perpetua! Tædet me sæpe, multa legere & audire: in te est, quidquid volo & cupio: taceant doctores omnes: fileat omnis rerum natura in tuo conspectu: tu me solus alloquere.

III. Nam quanto quisque sibi coniunctior est, *quantoque magis secum habitans, minus extra vagatur, tanto & plura & altiora sine labore percipit*, quippe qui intelligentiæ lumen superne accipit. Purus, simplex, constansque animus in multa opera non distrahitur, vtpote qui omnia ad Dei honorem faciat, operamque det, vt ab omni amore sui otietur. Quid enim hominem magis impedit atque vexat, quam animi indomitæ perturbationes? Bonus

(x) *Ioh. 17. v. 23.*

nus & religiosus homo, antequam opera aggrediatur, prius ipse secum consultat: neque se operibus suis ad vitiosas cupidines abstrahi patitur, sed eas rectæ rationis arbitrio inflectit. Equidem *nullum grauius certamen est, quam seipsum vincere conari*, (y) atque hoc opus habere debemus, vt nos ipsos vincamus, & in dies nobis ipsis fortiores fiamus, semperque nonnihil in virtute proficiamus. (z)

IIII. Omnis enim in hac vita perfectio imperfecti quiddam sibi annexum habet, *omnisque nostra veri perspicientia caligine non caret.* (a) Est omnino humilis sui cognitio certior ad Deum via, quam profunda scientiæ perueſtigatio. Neque tamen culpanda scientia est, aut cuiuspiam rei cognitio, quæ si rite consideretur, bona est, (b) & diuinitus condita: sed ei

(y) *Prou.* 16. *v.* 32. (z) *Eph.* 4. *v.* 15. *Col.* 1. *v.* 11. 1. *Pet.* 2. *v.* 2. 2. *Pet.* 3. *v.* 18. (a) 1. *Cor.* 13. *v.* 9. 12. (b) 1. *Cor.* 12. *v.* 8 *ſ.*

semper anteferendus est animus sibi bene conscius, & coniuncta cum virtute vita. (c)

V. Sed *quia plerique magis scire, quam bene viuere student, efficitur, vt plerumque errent, & pene nullum, aut certe exiguum fructum ferant.* Qui si tantam exhiberent diligentiam tum in vitiis exstirpandis, tum in virtutibus serendis, quantam adhibent in quæstionibus mouendis, profecto nec in vulgo tot scelera flagitiaque perpetrarentur, nec in litteratis tanta vitæ licentia vigeret. Certe vbi venerit dies iudicii, non quid legerimus, sed quid egerimus, neque quam bene dixerimus, sed quam religiose vixerimus, exigetur a nobis ratio. (d)

VI. Age iam, vbi nunc sunt omnes illi magistri primariique viri, tibi olim, dum viuerent, studiisque florerent, noti? quorum nunc stipendiis alii fruuntur, qui fortasse de illis ne quidem cogitant.

(c) 2. Cor. 1. v. 12. (d) Matth. 25. v. 35. sq.

gitant. Illi quidem, dum viuerent, aliquid esse videbantur; nunc de eis siletur: tam cito perit humana gloria. Qui si vitam scientiæ suæ consentaneam egissent, feliciter litteris operam dedissent. Quam multi vana scientia pereunt in hoc seculo, (e) quia Dei cultum parum curant: quoniamque magni, quam demissi esse malunt, fit, vt vanis cogitationibus vtantur.

VII. *Vere magnus est, qui magnam habet caritatem.* Vere magnus est, *qui suo iudicio paruus*, (f) omne culmen honoris pro nihilo ducit. *Vere prudens est, qui terrestria omnia pro stercoribus habet, vt Christum lucrifaciat.* (g) *Et vere bene doctus est, qui Dei voluntatem exequitur, relinquitque suam. (h)*

CAP.

(e) *Iesa.* 29. *v.* 14. 1. *Cor.* 1. *v.* 26. *seq.* (f) *Matth.* 18. *v.* 4. (g) *Phil.* 3. *v.* 8. (h) *Ioh.* 7. *v.* 17.

CAPVT IIII.

De prudentia in rebus agendis.

NON *cuiuis dicto aut inſtinctui credendum eſt, ſed caute ac per otium res eſt ſecundum Deum ponderanda.* Sæpe malum, proh dolor! facilius, quam bonum de altero & creditur & dicitur: ita ſumus infirmi. Sed *perfecti homines non cuiusuis orationi credunt*, quippe qui ſciant infirmitatem humanam & ad malum procliuem, (i) & in verbis ſæpe labentem. (k)

II. *Magnæ ſapientiæ eſt, nec in agendo præcipitem eſſe, nec in eo, quod ſemel animo concupiueris, pertinacem.* Eiusdem ſapientiæ eſt, neque quibuslibet hominum verbis credere, *neque audita aut credita mox in aliorum aures effundere.*

III. Cum ſapiente & religioſo homine conſilium inito, potiusque a melio-

(i) *Gen.* 8. *v.* 21. (k) *Pſ.* 116. *v.* 11.

liore instrui, quam ipse tua inuenta sequi studeto.

IIII. Facit bona vita hominem sapientem secundum Deum, & multorum peritum. *Quanto quisque submissiorem, Deoque subiectiorem se præstat, tanto idem in omnibus & sapientior est & pacatior.* (k)

CAPVT V.

De sacrarum litterarum lectione.

IN sacris litteris veritas, non eloquentia quærenda est, debentque eodem, quo dictatæ sunt, spiritu legi, & in eis vtilitas potius, quam orationis subtilitas quæri: (l) nec minus libenter religiosos rudesque libros, quam arduos profundosque legere conuenit.

II. Neque vero te scribentis auctoritas moueat, vtrum paruæ an magnæ litte-

(k) *Eccles.* 3. *v.* 20. (l) *Ioh.* 5. *v.* 39. 2. *Tim.* 3. *v.* 16. 17.

litteraturæ fuerit: sed puræ veritatis amor ad legendum te attrahat: neue quis dicat, sed quid dicatur, attende.

III. Intereunt homines, sed diuina veritas durat in æternum: (m) & nos nulla personarum habita ratione variis modis alloquitur Deus.

IIII. Sæpe nos in litterarum lectione impedit nostra curiositas, dum ea percipere ac discutere volumus, quæ simpliciter prætereunda essent. *Si fructum inde vis percipere, submisse, simpliciter, fideliter legito, neue scientiæ nomen vnquam affectato.*

V. Sanctos homines interrogare amato, eorumque dicta tacitus audito, neue seniorum figuratis verbis offenditor: neque enim temere enuntiantur.

CAP.

(m) *Ps.* 100. *v.* 4. 1. *Pet.* 1. *v.* 24. 25.

CAPVT VI.

De animi perturbationibus.

Quandocunque aliquid intemperanter adpetit homo, statim animo redditur inquieto. Superbus (n) aut auarus nunquam quiescit, sed *qui animo pauper & submissus est, is in alta pace degit.* (o) Qui vero animi perturbationes nondum plane necauit, is & facile tentatur, & paruis etiam vilibusque rebus vincitur.

II. Infirmus animo, & adhuc nonnulla ex parte carnalis, & *ad sensibilia propensus, seipsum a terrenis cupiditatibus totum abstrahere vix potest:* ideoque dum abstrahit, sæpe cum dolore id facit, & si quis ei resistit, facile irascitur. (p) Sin prosequutus est, quod concupiuit, confestim peccati conscientia angitur, (q) quia cupiditati suæ obse-

(n) *Prou.* 13. *v.* 10. (o) *Matth.* 5. *v.* 3. 5. 1. *Pet.* 5. *v.* 6. *Iac.* 4. *v.* 10. (p) *Gal.* 5. *v.* 17. (q) *Rom.* 2. *v.* 15.

obsequutus est, quæ ad eam, quam quærebat, pacem, nihil profuit.

III. Igitur *non seruiendo, sed resistendo cupidinibus inuenitur vera pax animi:* existitque ea pax non in corde carnalis hominis, non in addicto rebus externis homine, sed in feruido & spirituali.

CAPVT VII.

De vana spe fastuque fugiendo.

IN hominibus ceterisque rebus creatis spem suam collocare, leuitatis est. (r) Ne te pudeat aliis seruire amore Jesu Christi, & pauperem in hac vita videri. (s) Noli teipso niti, sed in Deo spem tuam colloca. (t) *Conare pro virili, & Deus aderit bonæ tuæ voluntati.* (u)

II. Ne confide vel tuæ scientiæ, vel cuius-

(r) *Ier.* 17. *v.* 5. (s) *Matth.* 5. *v.* 3. (t) *Ps.* 118. *v.* 8. 9. (u) *Matth.* 25. *v.* 29.

cuiusquam mortalium astutiæ, sed potius Dei fauori, qui & submissos adiuvat, & insolentes deprimit. (x) Ne gloriare vel de diuitiis, si adsunt, vel de amicis, si potentes sunt, sed de Deo, (y) qui & omnia præstat, & seipsum super omnia dare cupit. (z) Ne te extolle de corporis vel magnitudine vel pulchritudine, (a) quæ vel leui morbo corrupta fœdatur. *Noli ipse tibi de dexteritate ingenioue tuo placere, ne Deo displiceas*, cuius est, quidquid boni a natura habes.

III. Ceteris meliorem te ne existimato, ne forte apud Deum, qui nouit, quid sit in homine, deterior habeare. (b) *Recte factis superbire noli*: nam longe alia sunt Dei, quam hominum iudicia, quippe cui sæpe displiceat, quod hominibus placet. (c) *Si quid in te boni est, credito de altero melio-*

(x) 1. *Pet.* 5. *v.* 5. (y) *Ier.* 9. *v.* 23. 24. (z) *Rom.* 8. *v.* 23. (a) *Ier.* 9. *v.* 23. (b) *Luc.* 16. *v.* 15. (c) *Ies.* 55. *v.* 8.

meliora, vt animi ſubmiſſionem retineas. Vel omnibus ſeipſum ſubiicere, nihil nocet: at nocet, vel vni ſeipſum præponere. Submiſſus homo iugi pace fruitur: at *ſuperbi animus ira & indignatione frequenter agitatur.* (d)

CAPVT VIII.

De cauenda familiaritate nimia.

NOn cuiuis animum tuum aperito, (e) ſed *cum ſapiente ac religioſo negotium tuum communicato*: cum iuuenibus autem & extraneis rarus eſto. Diuitibus blandiri noli, neue cum magnatibus libenter verſare: (f) quin *te modeſtis & ſimplicibus, religioſis beneque moratis aſſociato*, & conducibilia tractato. *Mulieri nulli familiaris eſto*, (g) ſed in vniuer-

(d) *Prou.* 13. *v.* 10. (e) *Eccleſ.* 8. *v.* 22. (f) *Eccleſ.* 13. *v.* 2. (g) *Prou.* 5. *v.* 8. *c.* 31. *v.* 3.

niuersum omnes bonas mulieres Deo commendato. Soli Deo eiusque angelis familiaris esse optato: hominum quorundam familiaritatem euitato.

II. Caritas habenda est erga omnes, (h) sed familiaritatem non expedit. Quandoque accidit, vt ignotus aliquis secunda fama clarus sit, idem postea cognitus ac præsens vilescat, obscuriorque fiat. Putamus aliquando, nos aliis inita familiaritate placituros, a quibus vbi morum nostrorum improbitas animaduersa est, eis magis etiam displicemus.

CAPVT VIIII.

De obedientia & subiectione.

PErmagnum est, alterius imperio subiectum viuere, neque sui iuris esse: *multoque tutius paretur, quam imperatur.* Multi necessitate magis, quam caritate obediunt, iidemque

(h) 1. *Thess.* 3. *v.* 12.

que id cum labore faciunt, & facile murmurant, nec mentis libertatem adipiſcuntur, niſi & ex animo & propter Deum ſeſe dicto audientes præbeant. (i) Quocunque te vertas, nullam vſquam, niſi in alterius imperio modeſte ferendo, quietem inuenies. (k) Multos fefellit locorum imaginatio atque mutatio.

II. Agit equidem quisque libenter arbitrio ſuo, & in eos, qui ſecum ſentiunt, propenſior eſt: verum ſi inter nos verſatur Deus, omnino cedendum eſt aliquando noſtra ſententiâ propter bonum pacis. (l) Quis enim ita ſapit, vt omnia ſciat? (m) Quare *noli nimis tuæ ſententiæ confidere*, (n) *ſed aliorum quoque iudicium libenter audito.*

III. Quod

(i) *Epheſ.* 6. *v.* 5. *Col.* 3. *v.* 22. 23. 1. *Pet.* 2. *v.* 13. *ſ.* (k) *Epheſ.* 5. *v.* 21. (l) *Pſal.* 34 *v.* 15. *Rom.* 12. *v.* 18. *c.* 14. *v.* 17. *ſ.* (m) *Rom.* 12. *v.* 3. 1. *Cor.* 12. *v.* 29. (n) *Prou.* 3. *v.* 5.

III. Quod si bonam alioquin tuam sententiam, tamen propter Deum missam feceris, aliaque sequutus fueris, magis inde proficies. Audiui enim sæpe, *tutius esse audire & accipere consilium, quam dare.* Fieri enim potest, vt sit alioquin bona cuiuspiam sententia, & tamen si idem aliis, dum id ratio aut causſa postulat, obtemperare nolit, hoc argumento superbiam pertinaciamque suam ostendat.

CAPVT X.

De cauenda familiaritate verborum.

HOminum turbas, *quoad eius fieri potest, caueto:* (o) multum enim officiunt, qui de rebus mundanis vulgo haberi solent sermones, (p) etiamsi alioquin a simplici animo proficiscantur. Facile enim vanitate capti inquinamur, fitque sæpe,

(o) *Matth. 14. v. 13. Ioh. 6. v. 15.* (p) *Prou. 10. v. 19.*

vt me tacuisse, & in turba non fuisse, optem.

II. Quod si caussa quæratur, cur tam libenter inter nos colloquamur & confabulemur, cum tamen raro sine conscientiæ labe aliqua ad silentium redeamus, hanc esse comperietur, quod *ex frequentibus colloquutionibus solatium aucupamur, & fatigatum diversis cogitationibus animum releuare cupimus:* ac quanto quidque vehementius diligimus & auemus, quantoue quidque nobis magis aduersari sentimus, tanto magis de eo loqui libet & cogitare, idque plerumque frustra. Nam *hæc exterior consolatio interiori diuinæque consolationi non exiguum detrimentum affert.*

III. Itaque vigilandum orandumque est, (q) ne tempus otiose transigatur: quod si loqui libet & expedit, vtilia loquere. (r) A garriendo quidem deterrere nos illud maxime debet, quod

(q) *Marc.* 13. *v.* 35. (r) *Ephes.* 4. *v.* 29.

quod & vitiosa est consuetudo garriendi, (s) & profectum nostrum remoratur. Ceterum *conducit non parum ad proficiendum in rebus diuinis religiosa de eis colloquutio*, præsertim vbi homines animo spirituque similes inter sese in Deo copulantur.

CAPVT XI.

De pace consequenda, studioque proficiendi.

POssemus alta pace frui, nisi aliorum dictis & factis, quæ nostræ procurationis non sunt, occuparemur. (t) Sed qui possit is in pace diu degere, qui se alienis curis immiscet? qui occasiones foris quærit? qui vel parum vel raro sese intus colligit? *Beati simplices: nam ii multam pacem assequuntur.* (u)

(s) *Prou.* 19. *v.* 19. (t) *Eccles.* 3. *v.* 22. (u) *Matth.* 5. *v.* 8.

II. Iam vero cur quidam sanctorum ita perfecti, itaque diuinarum rerum contemplationi addicti exstiterunt? nimirum quia terrenas cupiditates omnes enecare studuerunt, (x) ideoque totis animi sensibus Deo adhærere, libereque vacare potuerunt. At nos animi nostri perturbationibus nimium occupamur, rebusque caducis nimium solicitamur. Raro etiam vel vnum vitium perfecte vincimus, & ad quotidianum profectum non accendimur: ideoque frigidi & tepidi manemus. (y)

III. Qui *si nobis ipsis plane mortui*, interius minime impliciti teneremur, *fieret* profecto, *vt diuina sentire, cælestiumque rerum contemplationem nonnihil experiri possemus.* Est omnino maximum, ne dicam omne impedimentum in eo positum, quod ab animi perturbationibus & cupiditatibus non

(x) *Col.* 3. *v.* 1. 2. *Pet.* 1. *v.* 5. (y) *Apoc.* 3. *v.* 15. 16.

non ſumus liberi, nec perfectam ſanctorum viam conamur ingredi.

IIII. Quod ſi quando vel tantulum rerum aduerſarum occurrit, nimis facile deiicimur, & ad humanas conſolationes nos conuertimus. Quod *ſi*, vt viros fortes decet, *in prælio ſtare niteremur, non dubium eſt, quin auxilium nobis de cælo mitti videremus.* (z) Idem etiam certantes, ſuumque fauorem ſperantes paratus eſt adiuuare, (a) qui nobis certandi occaſiones procurat, vt vincamus.

V. Quod ſi in exterioribus duntaxat rebus iſtis præſtandis greſſum religionis collocauerimus, breui finem habitura eſt noſtra religio. Radici admouenda eſt ſecuris, vt a cupiditatibus expurgati, pacatum animum adipiſcamur. (b) *Si vel vnum vitium quotannis exſtirparemus, cito perfecti viri efficeremur.* Nunc contra fit, vt

(z) *Epheſ.* 4. *v.* 10. 1. *Cor.* 10. *v.* 13.
(a) 1. *Cor.* 10. *v.* 13. (b) *Matth.* 25. *v.* 29.

sæpe nos initio correctionis nostri meliores purioresque fuisse deprehendamus, quam post multos professionis annos: quo fit, vt cum debeat ardor progressusque noster in dies crescere, magnum iudicemus, si quis ardoris primi partem retinere queat. *Si principio vim aliquantam nobis inferremus, efficeretur, vt postea omnia cum suauitate lætitiaque præstare possemus.*

VI. Est equidem graue, assueta relinquere: grauius etiam, suæ ipsius voluntati repugnare: verum, si parua leuiaque non viceris, quando superabis difficiliora? Resiste principio procliuitati tuæ, prauamque consuetudinem relinque, ne forte paullatim ad maiorem te ducat difficultatem. *O si animaduerteres, quantam & tibi pacem, & aliis lætitiam, te ipsum probe gerendo, afferres*, næ tu de proficiendo in rebus diuinis magis esses solicitus.

CAP.

CAPVT XII.

De vtilitate rerum aduersarum.

CAlamitatibus & rebus aduersis interdum premi, nobis conducibile est, vtpote quæ sæpe hominem in seipsum reuocent, quo se exulare sciat, nec in vllis humanis rebus spem suam collocet. (c)

II. Neque non illud *e re nostra est, esse interdum, qui de nobis maledicant*, maleque & sinistre de nobis sentiant, etiamsi bonis moribus bonoque animo simus. (d) Nam hæc sæpe *conducunt ad modestiam, & ab ambitione nos tuentur.* Siquidem ita fit, vt tanto magis interiorem testem Deum quæramus, quando foris contemnimur ab hominibus, nec nobis satis creditur. (e)

III. Itaque *debet homo sic totus a Deo pendere, vt ei multas quærere consolationes non sit necesse.* (f) Quum

(c) 2. Cor. 1. v. 9. (d) 1. Pet. 3. v. 16. 17. (e) 1. Cor. 4. v. 3. 4. (f) 2. Cor. 1. v. 9.

enim bonæ voluntatis homo rebus adversis premitur & tentatur, aut malis cogitationibus angitur, tunc sibi tanto magis Dei opem necessariam esse intelligit, sine quo nihil boni se posse comperit. tunc dolet, tunc gemit, tunc vt ab ea, quam patitur, miseria liberetur, orat, tunc eum diutius viuere tædet, mortemque optat, (g) vt ex hac vita profectus, cum Christo degat, tunc probe perspicit perfectam securitatem, plenamque pacem in hac vita constare non posse.

CAPVT XIII.

De resistendo tentationibus.

QVamdiu in hac vita sumus, a miseriis & tentatione abesse non possumus: quam etiam ob caussam in Iobo scriptum (h) habetur, hominis in terris vitam esse tentationem. Itaque *debet quisque de suis* ten-

(g) *Phil.* 1. *v.* 23. (h) *Iob.* 7. *v.* 1.

tentationibus esse solicitus, & invigilare precibus, ne diabolus locum inueniat decipiendi, qui nunquam dormitat, (i) sed semper oberrat, quærens, quem deuoret. Nemo tam perfectus & sanctus est, qui non petatur aliquando tentationibus, nec eis plane carere possumus.

II. *Sunt* tamen *tentationes homini sæpe valde vtiles, licet molestæ*, vtpote quibus homo deprimatur, purgetur, erudiatur. (k) Res aduersas & tentationes sancti omnes obierunt, & in eis ad virtutem profecerunt: (l) easque qui satis ferre nequiuerunt, ii reiectanei euaserunt ac defecerunt. (m) Nullus vel ordo tam sanctus, vel locus tam solitarius est, quin in eo tentationes & aduersa existant.

III. Denique *quamdiu viuit homo, nunquam prorsus a tentationibus tutus est,*

(i) 1. *Pet.* 5. *v.* 8. (k) *Iob.* 5. *v.* 17. (l) *Ebr.* 12. *v.* 8. 11. *Rom.* 5. *v.* 13. (m) *Luc.* 8. *v.* 13.

est, vtpote cum insit nobis in ipsis id ipsum, a quo tentamur, (n) postquam in cupiditate nati sumus. Succedunt tentationes tentationibus, miseriæ miseriis, semperque aliquid patiendum habemus. Nam felicitatis nostræ bonum perdidimus.

IIII. *Multi dum tentationes declinant, in grauiores incidunt.* Non sola fuga vicerimus, sed patientia veraque modestia efficiemur hostibus fortiores. (o) Qui tentationes tantum externe declinans, radicem non euellit, is tantum abest, vt proficiat, vt tanto eum citius repetant tentationes, tantoque deterius habeat. Paullatim & cum patientia durando, adiuuante Deo facilius superabis, quam duritia & importunitate. (p)

V. *In tentatione sæpius vtere consilio*, & si quis tentatur, ei durum te præbere

(n) *Iac.* 1. *v.* 14. *Psal.* 51. *v.* 7. (o) *Ies.* 30. *v.* 15. (p) *Rom.* 5. *v.* 3. 1. *Cor.* 10. *v.* 13.

bere noli, (q) sed potius consolationem adhibe, sicut ipse tibi adhiberi velis.

VI. *Omnium malarum tentationum initium est animi inconstantia, & parva de Deo confidentia.* (y) Vt enim destituta gubernaculo nauis vltro citroque ventis impellitur: ita remissus & propositi parum tenax homo varie tentatur. (z)

VII. Vt ferrum ignis, sic hominem explorat tentatio. (a) *Quid possimus, sæpe nescimus: sed quid simus, aperit tentatio.*

VIII. *Vigilandum est* autem *maxime tentationis initio.* (b) Nam tunc facilius vincitur hostis, si mentis ostium intrare nequaquam sinitur, sed ei extra limen, simul ac pulsauit, obuiam itur. Itaque recte dixit quidam: (c) *Prin-*

(q) *Gal.* 6. *v.* 1. (y) *Matth.* 8. *v.* 56. *c.* 14. *v.* 26. 31. (z) *Iac.* 1. *v.* 6. 7. (a) 1. *Pet.* 1. *v.* 7. (b) *Matth.* 26. *v.* 38. (c) *Ouid. lib.* 3. *de arte amandi.*

Principiis obsta: sero medicina patur;
Cum mala per longas inualuere moras.

Nam primo occurrit menti nuda cogitatio: deinde vehemens imaginatio: postremo delectatio, motusque prauus, & assensio, quo fit, vt paullatim penitus intret malitiosus hostis, dum illi non resistitur principio; ac *quanto quisque diutius ad resistendum torpet, tanto & ipse indies debilior, & hostis in eum fortior euadit.*

VIIII. Nonnulli principio correctionis sui grauiora certamina patiuntur: alii in fine: alii per omnem vitam vexantur: sunt, qui leuiter oppugnantur, pro diuini decreti sapientia & æquitate, quæ hominum mores meritaque pensat, & cuncta ad electorum suorum salutem prius dispensat. (d)

X. Itaque non debemus, dum tentamur, desperare, sed eo ardentius Deum

(d) *Rom.* 8. *v.* 28. *Apoc.* 3. *v.* 10.

Deum orare, vt nos in omnibus rebus aduerſis dignetur adiuuare, facturus vtique, ſecundum dictum Paulli, eiusmodi tentationiis euentum, (e) vt ferre valeamus. Quamobrem *in omnibus tentationibus & rebus aduerſis ſubmittamus animos noſtros potenti manui Dei, qui animo demiſſos ſeruare ſolet & extollere. (f)*

XI. In tentationibus & rebus aduerſis exploratur homo, quantum profecerit, in eoque & gratia maior exiſtit, & virtus magis pateſcit. (g) Neque vero magnum eſt, ſi quis nulla re premente religioſus eſt & ardens: ſed ſi miſeriæ tempore patientem ſe præſtat, ſpes eſt, multum eſſe profecturum. (h) *Sunt, qui ex magnis tentationibus incolumes euadunt: iidem in paruis & quotidianis ſæpe vincuntur*, vt ita deiecti, nunquam ſibi ipſis

C in ma-

(e) 1. *Cor.* 10. *v.* 13. (f) 1. *Pet.* 5. *v.* 5. 6. (g) 1. *Cor.* 3. *v.* 13. 1. *Pet.* 1. *v.* 7. (h) *Rom.* 5. *v.* 3. *Iac.* 1. *v.* 12.

in magnis confidant, qui in tantulis infirmi sunt.

CAPVT XIIII.

De vitando temerario iudicio.

IN teipsum oculos conuerte, *de aliorum factis ne iudices, caueto. (i)* Nam de aliis iudicando, & frustra laboratur, & sæpius erratur, & facile peccatur: at de seipso iudicando, & seipsum examinando semper fructuose laboratur. (k) Vt erga quamque rem affecti sumus, sic de ea plerumque iudicamus: facileque, priuato amore cæcati, verum iudicium amittimus. Quod si solius Dei studio semper duceremur, non tam facile nos turbaret repugnans veritati sensus noster. Sed sæpe aliquid vel intus latet, vel etiam foris accedit, quod vna secum nos trahat.

II. Multi in actionibus suis sibimet ipsis

(i) *Matth. 7. v. 1, 2.* (k) *1. Cor. 11. v. 31.*

ipsis inscientes student: iidemque tantisper tranquillo pacatoque animo videntur, dum res ex ipsorum arbitrio & sententia succedunt: sin aliter, quam ipsi cupiunt, res feruntur, facile permouentur, & dolore afficiuntur.

III. *Ob sententiarum opinionumque diuersitatem non parum frequenter oriuntur dissensiones inter amicos & cives*, interque religiosos & diuino cultui addictos homines. Nam antiqua consuetudo difficulter relinquitur.

IIII. *Vltra id, quód videt, nemo libenter ducitur.* Igitur si tuæ vel rationi vel industriæ magis inniteris, quam ei virtuti, quæ hominem Iesu Christo subiicit, vix aut ne vix quidem fiet, vt is sis, quem diuinum lumen illustrauerit. Vult enim Deus nos sibi totos subiici, & omnem rationem inflaminato amore transcendere. (1)

(1) *Deut. 6. v. 5.*

CAPVT XV.

De caritatis operibus.

NVllam *prorsus ob rem*, aut vllius mortalium amore, *quidquam mali fieri debet:* (*m*) sed ob vtilitatem indigentis opus bonum aliquando vel intermittendum, vel in melius mutandum est. (*n*) Hoc enim facto opus bonum non negligitur, sed in melius commutatur. Sine caritate quidem opus externum nihil prodest: sed *caritate quidquid agitur*, id quamlibet paruum sit & abiectum, *totum efficitur fructuosum.* Siquidem magis spectat Deus, quanto quidque amore fiat, quam quantum idipsum sit.

II. Multum facit, qui multum diligit: (*o*) multum facit, qui rem aliquam bene facit. Bene facit, qui magis publicæ vtilitati, quam suæ voluntati seruit. *Sæpe videtur esse caritas, quæ potius caro*

(*m*) *Rom.* 3. *v.* 8. (*n*) 1. *Cor.* 9. *v.* 4. (*o*) *Luc.* 7. *v.* 47. *Matth.* 26. *v.* 7.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1857201116/phys_0082
DFG

caro est: nam raro fit, vt absit carnalis procliuitas, sua cuiusque voluntas, præmii spes, cupido commoditatis.

III. *Qui vera* perfectaque *caritate præditus est*, is nulla in re sibimetipsi seruit, sed *Dei tantum gloriæ in omnibus studet*. Nulli etiam inuidet, quippe qui nullum amet priuatum gaudium, nec in seipso gaudere velit, sed in Deo super omnia bona beari optet. Nemini quicquam boni tribuit, sed omnia prorsus Deo accepta fert, a quo, ceu fonte manant omnia, in quo ad extremum sancti omnes cum boni fruitione acquiescunt. Quod si quis vel scintillam habet veræ caritatis, næ ille terrena omnia sentit esse plena vanitatis.

CAPVT XVI.

De tolerandis aliorum vitiis.

QVAE quisque vel in seipso, vel in altero corrigere nequit, ea patienter ferre debet, donec Deus

aliud ſtatuat. Cogita, præſtare forſan, vt ita ſit ad tui explorationem & patientiam, ſine qua non magni pendenda ſunt merita noſtra. Debes tamen ob huiusmodi impedimenta Deo ſupplicare, vt tibi ſic ſubuenire dignetur, vt iſta æquo animo ferre queas.

II. *Si quis ſemel, aut iterum admonitus non obtemperat, noli cum eo contendere, ſed rem totam Deo committe,* vt, quod ex eius & voluntate & honore ſit, id fiat in omnibus eius cultoribus: qui malum in bonum conuertere probe ſciat. Da operam, vt *ſis patiens in tolerandis aliorum quibuscunque vitiis* & infirmitatibus, vtpote qui ipſe quoque multis labores, quæ vicissim toleranda ſint aliis. *(p)* Si ipſe teipſum, qualem velles, reddere non potes, qui poſſis alterum arbitrio tuo componere?

III. Cupimus alios eſſe perfectos, cum ipſi interea vitia noſtra non corriga-

(p) 1. *Theſſ.* 5. *v.* 14. *Gal.* 6. *v.* 1. 2.

rigamus. Volumus, vt alii ſeuere corrigantur, ipſi corrigi recuſamus. Diſplicet aliorum immodica licentia, ipſi interim repulſam pati nolumus. Alios ſtatutis coerceri volumus, ipſi nos amplius cohiberi minime patimur. Hinc patet, quam non eodem, quo nos ipſos, loco alterum habeamus.

IIII. Enimuero *ſi eſſent omnes perfecti, quid eſſet, quod ab altero in Dei gratiam pateremur?* Nunc ſic viſum eſt Deo, vt diſcamus alter alterius onera ferre, (q) quippe cum nemo vitii, nemo oneris ſit expers, nemo ſibi ſatis ſit, nemo ſibi ſatis ſapiat, quin neceſſe eſt, vt nos inter nos feramus, conſolemur, adiuuemus, inſtruamus, admoneamus. Iam *qua quisque virtute ſit, facilius pateſcit occaſione rerum adverſarum.* Namque occaſiones hominem fragilem non faciunt, ſed qualis ſit, oſtendunt.

(q) *Gal.* 6. *v.* 2.

CAPVT XVII.

De solitaria vita.

OPortet, *vt discas teipsum in multis frangere,* (r) *si vis pacem & concordiam cum aliis tenere.*

II. Si rite consistere vis & proficere, fac, vt te exulem & peregrinum in terris esse existimes. (s) Stultum te fieri propter Christum oportet, si vis religiosam vitam ducere. (t)

III. Vestis & tonsura nihil conducunt; sed morum mutatio, & cupidinum plena interfectio, vere religiosum faciunt hominem. (u) Qui aliud, quam merum Deum animæque suæ salutem quærit, is nihil, nisi miserias & dolores inueniet.

IIII. *Neque* vero *diu tranquillus manere potest, qui non conatur esse minimus,* & omnibus subiectus. Ad servien-

(r) *Psal.* 34. *v.* 13 *seq.* (s) *Ebr.* 11 *v.* 13. 14. (t) 1. *Cor.* 4. *v.* 10. (u) *Ephes.* 4. *v.* 22.

viendum venisti, non ad regendum. (x) Ad patiendum & laborandum scias te vocatum, non ad otiandum & fabulandum. Hic explorantur homines, sicut aurum in fornace: hic consistere nemo potest, nisi qui se toto corde propter Deum deprimere velit.

CAPVT XVIII.

De exemplis sanctorum Patrum.

INtuere sanctorum illorum *patrum exempla feruida*, in quibus vera perfectio refulsit & religio, & *videbis, quam exiguum & pene nihil sit, quod nos præstamus.* Heu quid est vita nostra, si cum illis conferatur? *Sancti illi* homines, amicique Christi, Domino seruierunt in fame & siti, (y) in frigore & nuditate, in labore & fatigatione, in vigiliis & ieiuniis, in precibus

(x) *Matth.* 20. *v.* 26. (y) 2. *Cor.* 6. *v.* 5. *Ebr.* 11. *v.* 36. 37.

bus sanctisque cogitationibus, in multis persecutionibus & opprobriis.

II. Quot, quamque graues miserias passi sunt apostoli, martyres, confessores, virgines, denique reliqui omnes, qui Christi vestigia sequi voluere? Nam animas suas in hac vita odio habuerunt, vt eas in æternam vitam servarent. O! quam seueram, quam tetricam vitam sancti illi patres in solitudine duxerunt? Quam longas & graues tentationes pertulerunt? Quam frequenter ab hoste vexati sunt? Quam crebras & ardentes preces Deo libarunt? Quanta cum seueritate continentes se præstiterunt? Quanto studio & ardore in rebus diuinis progressus facere contenderunt? Quam acre bellum in edomandis vitiis gesserunt? Quam sincero rectoque erga Deum animo præditi fuerunt? Interdiu laborabant, noctu diuinis precibus vacabant: quamquam ne laborando quidem a mentis precationibus cessabant.

bant. Denique omne tempus vtiliter impendebant, omnisque hora ad vacandum Deo breuis videbatur, adeo, vt præ cogitandi dulcedine etiam necessitas corpora curandi obliuioni traderetur. Omnibus diuitiis, auctoritatibus, honoribus, amicis, cognatis renuntiabant, neque mundani quidquam habere cupiebant. Quid multis? Vix necessaria vitæ adhibebant, vsque adeo, vt corpori etiam in necessitate esse seruiendum dolerent.

III. Ergo rebus terrenis pauperes, sed diuino fauore virtutibusque prædiuites erant, & foris egentes, intus Dei gratia & consolationibus recreabantur. (z) Erant mundo alieni, sed Deo proximi ac familiares amici. Erant & suo nihili, & mundi iudicio despecti: sed Deo summi eximiique habebantur. In vera modestia perstare, in simplici obedientia viuere, in caritate & patientia degere, ideoque quo-

(z) 2. Cor. 6. v. 10.

tidie in ſpiritu proficere, & magnam a Deo gratiam obtinere.

IIII. Denique religioſis omnibus exemplo eſſe debent, nosque plus ad ſtrenue progrediendum prouocare, quam tepidorum multitudo retardare.

V. Quantus ardor exſtitit omnium religioſorum in principio ſancti illius eorum inſtituti? Quanta precationum religio? Quanta virtutis æmulatio? Quam ſeuera viguit diſciplina? (a) Quanta reuerentia & obedientia ſub regula magiſtri in omnibus floruit? Teſtantur adhuc relicta veſtigia, vere ſanctos perfectosque fuiſſe viros illos, qui tam ſtrenue militantes mundum ſubegerint.

VI. *At nunc* magnus putatur, ſi quis in præcepta non deliquit, ſi quis accepta cum patientia tolerare potuit. *Ah temporis ſtatusque noſtri ſocordiam*, quod tam cito declinamus de ardore

(a) *Act. 4. v. 32.*

dore priſtino, & iam tædet vitæ præ laſſitudine & tepore! Vtinam in nobis non plane dormiat virtutum progreſſus, qui ſæpe tot vidimus exempla religioſorum!

CAPVT XVIIII.

De exercitationibus hominis vere religioſi.

DEbet omnino hominis religioſi vita omnibus pollere virtutibus, vt ſit interne talis, qualis externe videtur hominibus: quinimmo *multo plus intus merito eſſe debet, quam foris cernitur*: quippe cum noſtri ſit inſpector Deus, quem ſummopere revereri debemus, vbicunque ſumus, & angelorum ritu in eius conſpectu mundi incedere.

II. *Quotidie renouare debemus propoſitum noſtrum, & perinde ac ſi hodie primum ad frugem conuerſi eſſemus,* (b) ad

(*b*) *Rom.* 12. *v.* 2.

ad ardorem nos ipsos excitare, atque ita dicere: Adiuua me, mi Domine & Deus, in bono instituto sanctoque tui cultu, & mihi da hoc ipso die perfecte incipere: nam quod hactenus feci, nihil est.

III. Ad nostrum currendi proficiendique propositum magna diligentia opus est, si institutum rite perficere volumus: nam si is, qui negotium hoc fortiter instituit, sæpe tamen defetiscitur, quid faciet, qui vel raro vel minus constanter id instituit? Variis equidem modis contingit desertio instituti nostri, & *vel leuis exercitationum omissio, vix sine aliquo dispendio accidit.*

IIII. Iustorum institutum a Dei favore, non ab ipsorum sapientia pendet, eidemque semper confidunt, quidquid aggrediuntur. Nam homo instituit illud quidem, sed Deus decernit, nec penes hominem est ipsius actionis euentus. (c)

V. Si

(c) *Prou.* 16. *v.* 1. *Ier.* 10. *v.* 23.

V. Si quando vel pietatis vel fraternæ vtilitatis cauſſa omittitur conſueta inſtituti exercitatio, eadem facile reuocari poteſt. Sin animi tædio aut negligentia facile intermittitur, id vero nec parum vitioſum eſt & detrimentum parit.

VI. Conamur licet pro virili, tamen facile delinquemus in multis. *(d) Semper tamen certi aliquid ſtatuendum eſt, præſertim contra illa, quæ nos præ ceteris impediunt.* Exteriora nobis pariter ac interiora ſcrutanda componendaque ſunt, quippe quæ vtraque ad profectum neceſſaria ſint.

VII. Quod ſi continenter a teipſo rationem exigere non vales, id ſaltem interdum, & vt minimum ſemel quotidie facito, mane videlicet aut veſpere. *Mane, quid ſis acturus, inſtitue: veſpere diſcute mores tuos, qualis hodie verbis, factis, cogitationibus fueris:* nam in his ſæpius forſitan & Deum & homines offendiſti.

VIII.

(d) *Iac. 3. v. 2.*

VIII. Accingere, ſicuti virum decet, contra diabolicam nequitiam: *frenato gulam, & omnem carnis cupiditatem facilius frenabis. Nunquam plane otioſus eſto,* ſed ſemper aut legito, aut ſcribito, aut orato, aut cogitato, aut vtilitatis aliquid in commune procurato. Corporis exercitationibus vtendum eſt non ſine diſcrimine, nec omnibus æque adhibendæ ſunt.

VIIII. Quæ communia non ſunt, ea foris oſtendi non debent: nam domi tutius exercentur priuata. Cauendum tamen, ne ad publica piger, ad priuata ſis promtior: quin officio mandatisque defunctus, ſi quid amplius vacat, te tibi reddito, vt tua poſtulat religio.

X. Non omnes eandem habere poſſunt exercitationem: quin aliæ aliis magis conueniunt. Neque non pro temporum ratione diuerſæ placent exercitationes, vt aliæ feſtis, aliæ profeſtis magis adlubeſcant: aliis nobis opus eſt tempore certaminis: aliis tem-

tempore pacis & quietis; alia, dum dolemus, libet cogitare, alia, dum læti sumus in Domino.

XI. *Sæpe renouandæ sunt exercitationes bonæ, præsertim festis diebus, quasi tunc ex hac vita migraturi, & ad æterna festa peruenturi simus*, itaque solicite nos præparare debemus eo tempore, & religiosiores præbere, omniaque præcepta seuerius exequi, tanquam laboris nostri præmium brevi a Deo percepturi. Quod si dilatum fuerit, credamus nos minus bene præparatos, & adhuc indignos tanta gloria certo tempore nobis exhibenda, *demusque operam, vt nos diligentius ad exitum præparemus.* Beatus ille seruus, (inquit euangelista Lucas) *(e)* quem Dominus, quum venerit, vigilantem inuenerit, hoc certo scitote, futurum, vt eum suis omnibus bonis præficiat.

CAP.

(e) c. 12. v. 43. 44.

CAPVT XX.

De amore solitudinis & silentii.

QVære aptum tempus vacandi tibi, & de Dei beneficiis frequenter cogita: omissisque curiosis, eiusmodi argumenta lectitato, quibus magis stimuletur animus, quam occupetur. Nam si teipsum a superfluis loquutionibus otiosisque circuitionibus, nec non a rebus nouis & rumoribus audiendis abstraxeris, tempus inuenies & longum satis, & aptum bonis cogitationibus exercendis.

II. Sic maximi sanctorum humana consortia, vbi poterant, vitabant, & Deo seorsum viuere malebant. Dixit quidam (Seneca): *Quoties inter homines fui, minor homo redii.* Hoc quippe sæpius experimur, quando diu confabulamur. *Facilius est omnino tacere, quam verbis modum non excedere. Facilius domi latere, quam foris a peccando se satis continere.* Igitur qui

qui ad interiora & ſpiritualia contendit, oportet, vt turbam cum Ieſu declinet. *(f)*

III. *Nemo tuto prodit*, niſi qui libenter latet. *Nemo tuto præeſt*, niſi qui libenter ſubeſt. *Nemo tuto præcipit*, niſi qui libenter obedire didicit. *Nemo tuto gaudet*, niſi qui animi bene ſibi conſcii teſtimonium habet. *(g) Nemo tuto loquitur*, niſi qui libenter tacet.

IIII. Semper tamen ſanctorum hominum ſecuritas plena timoris Dei exſtitit: nec eo minus ſoliciti & animo demiſſi fuere, quia magnis virtutibus diuiniſque donis pollerent. At improborum ſecuritas ex ſuperbia & faſtu oritur, tandemque in ſui deceptionem vertitur. *(h)* Nunquam tibi tuta omnia in hac vita promittito, quamvis religioſus & rerum humanarum con-

(*f*) *Ioh.* 5. *v.* 13. *Matth.* 14. *v.* 23. (*g*) 2. *Cor.* 1. *v.* 12. (*h*) *Prov.* 28. *v.* 14.

contemtor esse videaris. (i) *Sæpe accidit, vt qui hominum opinione ceteris essent meliores, ii grauius periclitati fuerint* ob nimiam confidentiam. (k) Quo fit, vt multis sit *vtilius, non carere prorsus tentationibus*, sed sæpius impugnari, ne forte nimium securi superbia efferantur, neue ad externas consolationes licentius declinent.

V. Quod si quis perituram lætitiam nunquam quæreret, si cum mundo nunquam rem haberet, o quam bene sibi conscium animum perpetuo retineret? Si quis omnem vanam solicitudinem amputaret, & duntaxat salutaria ac diuina cogitaret, suamque spem omnem in Deo collocaret, o quanta is pace & quiete frueretur? (l)

VI. *Nemo dignus est cælesti consolatione, nisi qui se diligenter in animi sancta stimulatione exercuerit*; quam quidem *ani-*

(i) *Rom.* 11. *v.* 21. *Prov.* 28. *v.* 14. (k) *Luc.* 18. *v.* 9. (l) *Ps* 3. *v.* 5. 6. *Ps.* 4. *v.* 9.

animi ſtimulationem ſi vis adipiſci, intra in cubiculum tuum, (m) hominumque tumultus excludito, ſicut habet ſcriptum illud: Hæc in cubilibus veſtris taciti cogitate. (n) *In cella ſæpius inuenies, quod foris amittes:* cella perpetuata dulceſcit: eadem negligentius habita tædium gignit. Quod ſi eam principio tuæ ad frugem reuerſionis rite frequentaueris, teque intra eam continueris, fiet tandem, vt tibi nihil iucundius, nihil ſolatii plenius ſit.

VII. *In ſilentio & quiete proficit religioſus animus, & diſcit abdita litterarum.* (o) Ibi inuenit flumina lacrimarum, quibus ſingulis noctibus ſeſe lauet & mundet, (p) vt conditori ſuo tanto familiarior fiat, quanto longius degit ab omni hominum tumultu. Igitur *qui ſe a notis & amicis abſtrahit, hunc adit ipſe Deus cum ſuis ſanctis angelis.*

VIII.

(m) *Matth.* 6. *v.* 6. (n) *Pſ.* 4. *v.* 5. (o) *Ieſ.* 30. *v.* 15. (p) *Pſ.* 6. *v.* 7.

VIII. Præstat latere, & sui curam gerere, quam seipso neglecto vel miracula edere. Laudabile est homini religioso raro foras ire, fugere videri, nolle etiam homines videre. Cur vis videre, quod non licet habere? perit & mundus & eius cupido. (q) Alliciunt voluptatis cupiditates ad spaciandum, sed postquam hora præteriit, quid tu inde nisi grauem pœnitentiam, animique vagationem reportasti? *Lætus exitus sæpe tristem reditum parit: & læta vigilia serotina triste matutinum facit.* Sic omne carnale gaudium blande intrat: sed ad extremum mordet & perimit.

VIIII. Quid potes alibi videre, quod hic non videas? ecce tibi cælum & terram, & omnia elementa: nam ex istis omnia sunt facta. Quid vsquam videre possis, quod diu sub sole duret? Satiatum iri te forsitan speras, sed id nunquam assequeris. Si vel omnia videres

(q) 1. Ioh. 2. v. 17.

res præsentia, quid illa essent, nisi inanis aspectus ? Attolle in sublime ad Deum oculos, & peccatorum delictorumque tuorum veniam ora. Vana vanis relinque : tu iis intende, quæ tibi præcipit Deus. *Conclude te intra ostium tuum, (r) & dilectum tibi Iesum ad te vocato. Cum eo in cella maneto: nam alibi nusquam pacem tantam inuenies.* Si non exiuisses, nec rumorum quidquam audiuisses, facilius in bona pace permansisses; nunc postquam *noua interdum audire delectat, efficitur, vt animi sit ferenda perturbatio.*

CAPVT XXI.

De stimulando animo.

SI quid proficere vis, Dei metum retine, neue nimis liber esto, sed sensus tuos omnes sub disciplina cohibe : neue te futili lætitiæ dedideris.

II. *Ad-*

(r) *Matth. 6. v. 6.*

II. *Addice teipsum animi stimulationi, & religionem inuenies.* Inuenit eiusmodi stimulatio multum boni, quod socordia cito perdere consueuit. Mirum est, posse quemquam vnquam vere lætari in hac vita, qui suum exilium & tot animæ suæ pericula consideret, atque perpendat. *(s)* Ob animi leuitatem, & in delictis nostris socordiam non sentimus animi nostri dolores, sed sæpe leuiter ridemus, quum merito flere deberemus.

III. *Nulla vsquam vera libertas bonaque lætitia est, nisi in Dei metu cum animo bene sibi conscio. (t)* Felix, qui potest abiectis occupationum omnium impedimentis vni sese dedere animi stimulationi. Felix, qui a se abdicat, quidquid eius conscientiam polluere aut grauare potest. *(u) Certa viriliter: consuetudo consuetudine vincitur.*

IIII. Si animum induxeris ceterorum ne-

(s) *Ps.* 120. *v.* 5. (t) 1. *Petr.* 3. *v.* 14. 15. (u) 2. *Cor.* 1. *v.* 12. 2. *Tim.* 2. *v.* 5.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1857201116/phys_0102
DFG

negotiis te non immiſcere, ipſi ſe viciſſim tuis non immiſcebunt. Alienum negotium tibi accerſere, aut te maiorum cauſſis implicare noli. *In te primum coniectos ſemper oculos habeto, teque ipſum inprimis præ omnibus tibi caris commonefacito.* Si hominum fauore cares, ægre id ferre noli, ſed illud grauiter ferto, quod te non ſatis bene geras & circumſpecte, ſicuti Dei cultorem & vere religioſum hominem viuere decet. *Eſt homini ſæpe & vtilius & tutius in hac vita non multas habere conſolationes, præſertim humanas:* nam diuinas quidem quod aut non habemus, aut rarius ſentimus ipſimet in culpa ſumus, qui nec animi quæramus aculeos, nec vanas & externas conſolationes omnino abiiciamus. *Cognoſce te non ſolum indignum diuina conſolatione, verum etiam dignum magna miſeria.*

V. Si quando ſtimulatur homo animi veris igniculis, fit, vt grauis ei &

amarus sit totus orbis. (x) Bonus homo magnas satis inuenit causſas dolendi atque flendi. Siue enim seipsum considerat, siue alterum intuetur, videt neminem hic sine calamitate viuere: quantoque sese acrius considerat, tanto grauius dolet. Sunt autem iusti doloris & stimulationis animi causſæ peccata vitiaque nostra, quibus ita inuoluti iacemus, vt raro cælestia contemplari valeamus.

VI. *Si frequentius de morte tua, quam de vitæ longitudine cogitares, non dubium est, quin ardentius teipsum corrigeres.* (y) Rursum si futuros orci cruciatus animo perpenderes, libenter opinor laborem doloremque tolerares, nec seueritatem vllam reformidares. Sed quia in animum illa non demittuntur, & blanditias adhuc amamus, fit, vt frigidi admodum pigrique esse pergamus, sæpe *spiritus inopia* laborantes; vnde fit, vt *tam facile* con-

(x) *Gal.* 6. *v.* 14. (y) *Eccl.* 7. *v.* 46.

conqueratur miserum corpus. Quamobrem submisse Deum orato, vt in animo tuo diuinos excitet igniculos, & cum vate illo sic *dicito: Pasce me, Domine, pane lacrimarum, meamque potionem fletu dilue.* (z)

CAPVT XXII.

Humanæ miseriæ consideratio.

MIser es, vbicunque sis, & quocunque te vertas, nisi ad Deum te convertas. (a) Quid turbaris, quia tibi res ex animi sententia non succedunt? quis est, cui ex voto cadant omnia? non ego, non tu, non vllus mortalium: *nemo*, inquam, *vsquam est omnis calamitatis & anguris expers*, non rex, non ipse Papa. Cuius est igitur omnium *optima conditio?* nimirum *eius, qui Dei caussa aliquid pati valet.* (b)

(z) *Psal.* 80. *v.* 6. (a) *Psal.* 84. *v.* 6. (b) *Matth.* 5. *v.* 10, 11. 1. *Pet.* 3. *v.* 14.

II. Dictitant plerique imbecilles & infirmi: En quam beatam vitam viuit ille, quam diues, quam potens, quam excelsus, quam magnus, quam pulcher! Sed intuere in cæleſtia bona, & videbis iſta omnia huius vitæ bona nihili eſſe, quippe prorſus incerta atque oneroſa, (c) vtque nunquam ſine ſolicitudine & timore poſſideantur. *Non in* huiuſmodi *bonorum copia ſita eſt hominis felicitas:* quin ei ſatis eſſe debet mediocritas, (d) nam *in terris viuere, vere miſeria eſt.*

III. Quo ſe quisque diuiniorem eſſe cupit, eo fit ei hæc vita acerbior, quanto videlicet humanæ vitioſitatis delicta & magis ſentit, & clarius videt. Nam comedere, bibere, vigilare, dormire, quieſcere, laborare, ceterisque *naturæ neceſſitatibus ſubiacere, vere magna miſeria & calamitas eſt homini religioſo,* qui ſe ab omni peccato immunem liberumque eſſe cupit. *Gra-*

vi-

(c) *Matth.* 6. *v.* 19. (d) 1. *Tim.* 6. *v.* 6.

viter enim *premitur homo corporis neceſſitatibus in hac vita:* ideoque ſuppliciter orat ille vates ab hiſce liberum ſe fieri his verbis: *Ex neceſſitatibus meis erue me, Domine.* (e)

IIII. Sed miſeri ſunt, qui miſeriam ſuam non norunt, & inſuper miſeriores, qui miſeriam hanc mortalemque vitam diligunt, quam quidem vsque adeo amplectuntur nonnulli, (cum tamen labore ac ſolicitudine ſua vix etiam neceſſaria ſibi comparare queant) vt ſi ſemper hic viuere liceret, Dei regnum nihil curarent. O inſani & animo infidentes, qui ita alte demerſi iacent in terris, vt nihil niſi carnalia in animo habeant miſeri, & tandem aliquando non ſine cruciatu ſenſuri, quam vile, quamque nihili fuerit, quod adamarunt.

V. At ſancti illi Dei homines, & religioſi omnes, quotquot Chriſto amici fuerunt, non in ea intuebantur, (f)

(e) *Pſ. 25. v. 17.* (f) *Hebr. 11. v. 13.*

quæ carni placerent, aut quæ hoc tempore florerent, sed ad æterna bona omni spe & auiditate anhelabant, totoq. animo ad suprema & in adspectabilia ferebantur, ne adspectabilium amore traherentur ad infima.

VI. *Noli*, frater, *desperare de proficiendo in rebus diuinis, adhuc habes tempus & horam:* cur procrastinas institutum tuum? *(g)* Surge & protinus incipe, atque ita ratiocinare: Nunc agendi, nunc pugnandi, nunc vitam corrigendi tempus est: *(h)* in rebus duris & aduersis tempus est promerendi. Per ignem & aquam transeundum est, *(i)* antequam venias in refrigerium. *Nisi ipse tibi vim feceris, vitium non superabis.*

VII. Quandiu fragile corpus hoc gerimus, sine tædio & dolore viuere nequimus. *(k)* Cuperemus equidem ab

(g) *Isa.* 55. *v.* 6. (*h*) 2. *Cor.* 6. *v.* 2. (*i*) *Ps.* 66. *v.* 12. (*k*) *Sap.* 9. *v.* 15. *Eccl.* 40. *v.* 1. *seq.*

ab omni miseria quietem habere: sed quia peccato perdidimus innocentiam, amisimus etiam veram beatitudinem. Itaque *tenenda nobis patientia est, & Dei expectanda misericordia, donec prætereat iniustitia, & hæc mortalitas absorbeatur a vita.* (l)

VIII. O quanta est humana fragilitas, quæ semper prona est ad vitia? (m) Hodie confiteris peccata, & eadem confessus, cras iterum perpetras. Nunc cauere statuis, & post vnam horam sic agis, quasi non statuisses. (n) Itaque magna nobis caussa est, nosipsos deprimendi, & nihil vnquam præclari de nobis sentiendi, qui tam fragiles simus & instabiles.

VIIII. Cito etiam negligentia perdi potest, quod multo labore vix tandem Dei ope quæsitum est: quid nobis ad extremum futurum est, qui tam mature tepescimus? Væ nobis, si sic ad

(l) *Ps.* 57. *v.* 2. (m) *Gen.* 8. *v.* 21. (n) *Eccl.* 35. *v.* 28.

quietem contendimus, quasi iam pax sit & securitas, (o) cum nullum adhuc veræ sanctitatis vestigium appareat in moribus nostris! Enimuero nobis opus est, vt de integro ceu tyrones, ad bonos mores instruamur, si qua forte spes est reditionis ad frugem, & maioris rerum diuinarum profectus.

CAPVT XXIII.

De meditatione mortis.

CVm tam cito finienda sit vita tua, vide, quid agas. Hodie viget homo: cras nusquam exstat: (p) & ex hominum oculis sublatus, mox etiam ex eorundem memoria elabitur. (q) O hebetudinem & duritiam cordis humani, quod solum præsentia cogitans, futuri rationem non habet!

II. *Sic*

(o) 1. *Thess.* 5. *v.* 3. (p) *Iob.* 14. *v.* 1. (q) *Eccl.* 8. *v.* 6.

II. *Sic te in omni & opere & cogitatione gerere debes, quasi statim sis moriturus.* Si tibi bene conscius esses, non multum mortem timeres. *Præstat peccata cauere, quam mortem fugere.* Si hodie paratus non es, quomodo cras eris? Incerta est crastina dies: (r) qui scis, an in crastinum victurus sis?

III. Quid prodest diu viuere, quando tam parum corrigimur? Enimuero *longa vita non semper corrigit hominem: quin sæpe culpam auget.* Vtinam vel vnum diem bene nos gessissemus in hac vita! Multi annos computant correctionis sui, cum sæpe sit eius fructus exiguus. *Si mori formidolosum est, forsitan periculosius est diutius viuere.*

IIII. Beatus, qui mortis horam semper habet ob oculos, seque ad moriendum quotidie componit. (s) Si quando hominem mori vidisti, cogita, eadem

(r) *Iac. 4. v. 14.* (s) *2. Cor. 4. v. 10.*

dem tibi via migrandum. (t) Mane dubitato, an ad vesperum sis peruenturus: itemque vespere matutinum tibi polliceri ne audeto, semperque ita paratus esto. Itaque viuito, vt nunquam te imparatum mors inueniat. Multi subito nec opinantes moriuntur: nam qua hora non putatur, filius hominis venturus est. (u) Vbi extrema illa hora venerit, multo aliter sentire incipies de omni ante acta vita tua, grauiterque dolebis, quod tam negligens fueris & remissus.

V. *O felicem & prudentem, qui nunc in hac vita talis esse conatur, qualis in morte inueniri optat.* (x) Magnam enim spem affert feliciter moriendi perfectus mundi contemtus, ardens cupido in virtute proficiendi, amor disciplinæ, labor pœnitentiæ, promtus animus ad obediendum, abnegatio sui

(t) *Eccl.* 38. *v.* 23. (u) *Matth.* 24. *v.* 42. (x) *Luc.* 12. *v.* 43.

sui & cuiuslibet calamitatis tolerantia ob amorem Christi.

VI. *Multa tu, tum sanus es, recte facere potes: ægrotus nescio quid poteris:* nam pauci morbo emendantur, *& qui vitæ correctionem in illud tempus differunt, raro sancti fiunt.* (y) Præstat mutare, & ita nunc, quando licet, (z) viuere, vt postea viuas in perpetuum. Alioquin si occasionem hanc de manibus amiseris, postea sero requires, eritque cum vel vnum diem aut horam ad te corrigendum fortasse frustra cupies.

VII. Quare age, perpende, quanto periculo te eximere, quantum malum vitare possis, si semper cautus mortem prospicias. *Da operam, vt nunc ita viuas, vt in hora mortis gaudeas potius, quam timeas.* (a) Disce mori mundo, vt tunc cum Christo vivas. (b) Disce nunc omnia contemnere,

(y) *Eccl.* 18. *v.* 22. (z) *Ioh.* 12. *v.* 35. (a) *Ps.* 23. *v.* 4. (b) *Rom.* 6. *v.* 8.

re, (c) vt tunc libere possis ad Christum pergere. Subige nunc corpus tuum vitæ correctione, vt tunc certam habeas confidentiam. (d)

VIII. Ah stulte, quid te diu victurum cogitas, cum nullum hic diem habeas exploratum? (e) quam multi decepti sunt, & ex insperato ex corpore extracti? (f) Quoties dici audiuisti? Ille gladio cecidit: ille aqua submersus est: ille ex alto delapsus ceruicem fregit: ille cibum capiendo obriguit: ille ludendo vitam finiuit: alius igne, alius ferro, alius peste, alius latrocinio periit: ita est omnium finis mors: præteritque, quasi vmbra quædam, vita hominum. (g)

VIIII. Quis tibi post mortem, si in vita occasionem amiseris, opem feret? (h) nunc, nunc agendi tempus est,

(c) *Luc.* 14. *v.* 33. (d) 1. *Cor.* 9. *v.* 27. (e) *Luc.* 12. *v.* 17. *seq.* (f) *Cohel.* 9. *v.* 12. (g) *Iob.* 14. *v.* 1. 2. (h) *Luc.* 16. *v.* 24. *seq.*

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1857201116/phys_0114
DFG

est, (i) dum & mortis horam ignoras, & in futurum tuto tibi prospicere potes. Dum tempus habes, congere tibi diuitias immortales, (k) & nihil nisi de salute tua cogita, solasque res diuinas cura. (l) *Nunc tibi amicos para, qui te vita defunctum accipiant in æterna tabernacula.* (m) Præbe te in terris peregrinum & hospitem, (n) ad quem mundi negotia nihil pertineant. Animum habe liberum, & ad Deum sursum erectum, quum durabilem hic ciuitatem non habeas. (o) *Illuc preces & gemitus quotidianos cum lacrimis dirige, vt spiritus tuus post mortem ad Deum feliciter migret.*

CAPVT XXIIII.

De vltimo Dei iudicio, & pœnis peccatorum.

OMnibus in rebus finem intuere, & quomodo coram seuero illo iudice

(i) 2. Cor. 6. v. 2. (k) Luc. 12. v. 33.
(l) Coloss. 3. v. 1. 2. (m) Luc. 16. v. 9.
(n) Hebr. 11. v. 13. (o) Hebr. 13. v. 14.

ſtaturus ſis, cui nihil occultum eſt, qui nec muneribus placatur, nec iniuſtas excuſationes admittit, ſed ex æquo & vero iudicat. *(p)* Miſerum te & inſipientem, o homo nocens, quid Deo reſpondebis, omnia peccata tua ſcienti, qui irati hominis vultum interdum reformidas? Cur tibi non proſpicis in illius iudicii diem, in quo nemo ab altero excuſari defendiue poterit? quippe quisq. ſibi ſatis magno erit oneri. Nunc fructuoſus eſt tuus labor, nunc fletus acceptus, nunc exaudiri poteſt gemitus: & Deum pacare dolore, ac te expiare.

II. Et omnino ſalutariter expiatur patiens homo, qui tum afficitur iniuria, magis ob alterius improbitatem, quam ob illatam ſibi iniuriam dolet, & aduerſariis ſuis veniam libenter orat, *(q)* eisque ex animo ignoſcit, & ipſe ab aliis veniam petere non cunctatur

(p) 1. *Pet.* 1. *v.* 17. (q) *Luc.* 23. *v.* 34. *Act.* 7. *v.* 59.

tur, & facilius miſeretur, quam iraſcitur, & ipſe ſibi vim frequenter facit, carnemque ſuam ſpiritui prorſum ſubiicere conatur.

III. Atque hæc non differenda, ſed in hac vita, & quidem primo quoque tempore præſtanda ſunt. Sed nos profecto intemperato amore carnis nos ipſos decipimus. Enimuero *quid aliud comburet ignis ille, quam peccata? Quanto tu tibi magis nunc* indulſeris, *carnique obſequutus fueris*, tanto poſtea grauiores pœnas lues, *tantoque copioſiorem materiam tibi ad ardendum congeſſeris. (r)*

IIII. Nam in quibus quisque peccaverit, in iisdem pro peccati magnitudine punietur. Ibi *ſegnes* ardentibus ſtimulis pungentur: ibi *epulones* acri fame & ſiti cruciabuntur: ibi *luxurioſi & voluptatum amatores* ardenti pice fœtidoque ſulphure perfunden-

 tur.

(r) *Luc.* 12. *v.* 47. *Rom.* 2, *v.* 5.

tur : ibi *inuidi* rabiosorum canum ritu vlulabunt. Denique nullum vitium non afficietur suo cruciatu. Ibi *superbi* omni probro obruentur, & *avari* miserrima egestate vexabuntur. Quid multis ? ibi erit vna hora grauior in pœna, quam hic longum tempus in corrigendis moribus. Ibi nulla requies, nulla miseris consolatio. (*s*) At hic est interdum doloris intercapedo, & amicorum demulcet consolatio.

V. Quamobrem *esto nunc solicitus, & ob peccata tua doleto, vt in illius iudicii die tutus gaudeas cum beatis.* *Tunc* enim stabunt iusti magna cum constantia aduersus eos, a quibus vexati fuerint & oppressi. (*t*) *Tunc* sedebit ad iudicandum, qui nunc se demisse subiicit hominum iudicio. (*u*) *Tunc* magna erit fiducia pauper & modestus, paven-

(*s*) 2. *Thess.* 1. *v.* 9. *Ies.* 66. *v.* 24. (*t*) *Sap.* 5. *v.* 1. (*u*) *Matth.* 19. *v.* 28. *Luc.* 22. *v.* 30.

ventibus vndique ſuperbis. *Tunc* videbitur ſapiens in hac vita fuiſſe, qui pro Chriſto didicit ſtultus & deſpectus eſſe. *Tunc* erit toleratæ patienter miſeriæ iucunda recordatio, cum interea iniuſti omnes obmuteſcent. *Tunc* gaudebunt omnes religioſi, mœrentibus omnibus irreligioſis. *Tunc* magis exultabit antea vexatus homo, quam ſi in perpetuis fuiſſet nutritus deliciis. *Tunc* ſplendebit habitus vilis, & obſcurabitur veſtis ſubtilis. *Tunc* magis laudabitur pauperculum domicilium, quam nunc inauratum palatium. *Tunc* plus iuuabit conſtans patientia, quam vniuerſa mundi potentia. *Tunc* magis extolletur ſimplex obedientia, quam hominum omnis aſtutia. *Tunc* hominem magis exhilarabit munda & bene ſibi conſcia mens, quam docta philoſophia. *Tunc* pluris erit contemtus diuitiarum, quam mortalium omnium theſaurus vniuerſus. *Tunc* tibi maius ſolatium affe-

ret religiosa precatio, quam esus cupediarum. *Tunc* magis gaudebis servato silentio, quam longa confabulatione. *Tunc* plus poterunt sancta tua opera, quam copiosa eloquentia. *Tunc* iucundior erit seuera vita, & corrigendorum morum asperitas, quam omnis terrena delectatio.

VI. Quocirca *disce nunc parua pati, vt tunc a grauioribus liberari queas.* Hic ante explorato, quid postea perferre possis. Quod si nunc tantula tolerare nequis, qui poteris tunc æternos ferre cruciatus? Et si nunc tantulus dolor impatientem efficit, quid gehenna tunc faciet? Nam profecto bis beatus esse non potes, vt & in hac vita voluptatibus fruare, & postea in cælo cum Christo regnes. (*x*)

VII. Iam vero finge, te in hodiernum diem in perpetuis honoribus & voluptatibus vixisse, quid tibi ista omnia profuissent, si te e vestigio mori con-

(*x*) *Luc.* 16. *v.* 25.

contingeret? (*y*) Nonne vides, omnia esse vana, excepto amore cultuque solius Dei? *Qui* enim *Deum toto corde amat, is nec mortem, nec supplicium, nec iudicium, nec orcum metuit:* (*z*) quippe cum perfectus amor tutum ad Deum aditum præbeat. (*a*) At quem adhuc peccare delectat, non mirum est, si is mortem iudiciumque timet. Expetit tamen, si te a malo nondum amor reuocat, vt saltem gehennæ timor coerceat. Qui vero Dei timorem repudiat, is diu in bono stare non potest, sed in diaboli laqueos cito incurrit. (*b*)

CAPVT XXV.

De feruenti correctione totius vitæ nostræ.

Esto in Dei cultu vigilans & diligens, & cui rei destinatus, cur mundum reliqueris, frequenter co-

(*y*) *Luc.* 12. *v.* 20. (*z*) *Rom.* 8. *v.* 38. (*a*) 1. *Ioh.* 4. *v.* 18. (*b*) *Prou.* 8. *v.* 36.

gitato, nimirum vt Deo viueres, & diuinus homo fieres. (*c*) Igitur ad proficiendum ardens esto: nam breui laborum tuorum mercedem accipies, nec vllus deinceps timor erit aut dolor in tuis finibus. (*d*) Paullulum nunc laborabis, & magnam requiem, immo perpetuam lætitiam inuenies. (*e*) Si tu in agendo fidelem te nauumque perpetuo præstiteris; Deus procul dubio fidelem se & locupletem præbebit in remunerando. (*f*) Spem bonam foueto assequendæ palmæ: (*g*) sed *vitanda securitas est, ne torpeas aut insolescas.*

II. Exstitit aliquando quidam, qui inter metum & spem anxius fluctuans, inter precandum supplex sic dicebat: O si me perseueraturum esse certo scirem! ac protinus intus in animo audiuit diuinum hoc responsum: quid tum

(*c*) *Ephes* 2. *v* 10. (*d*) *Apoc.* 21. *v.* 4. (*e*) *Rom.* 8. *v.* 18. 2. *Cor.* 4 *v.* 17. (*f*) *Matth.* 25. *v.* 20. (*g*) 2. *Tim.* 4. *v.* 8.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1857201116/phys_0122
DFG

tum posteà, si scires, vellesne facere? Agedum, fac, quod facere velles, & de perseuerantia dubitare noli. (*h*) Hac ille consolatione confestim confirmatus, diuinæ se commisit voluntati: ita cessauit anxia fluctuatio, noluitque curiose vestigare, quid sibi futurum foret, sed potius inquirere studuit, quidnam Dei voluntati conveniens, eidemque acceptum ac perfectum esset, ad opera laudabilia inchoanda atque perficienda.

III. *Spem habeto in Domino, & recte facito*, inquit vates, (*i*) *& terram incoles, eiusque opibus pasceris.* Vnum est, quod multos a profectu & feruenti sui correctione retrahit, horror difficultatis, laborque certaminis. (*k*) Enimuero illi maxime præ ceteris in virtutibus proficiunt, qui grauissima quæque, & sibi maxime aduersantia, viribus vincere nituntur. Nam tanto

(*h*) *Rom.* 8. *v.* 35. (*i*) *Ps.* 37. *v.* 3. (*k*) *Matth.* 19. *v.* 21.

magis proficit quisque, Deique gratiam tanto obtinet ampliorem, quanto magis seipsum vincit, & diuina ope subigit. (*l*)

IIII. Sed non in omnibus tantundem inest ad vincendum & moriendum: verum qui hoc opus diligentius vrgebit, is valentior erit ad promovendum (etiamsi plura sint ei toleranda,) quam alius bene alioquin moratus, sed ad virtutes segnior. *Sunt* autem *duo potissimum, quæ ad sui correctionem multum conducunt, videlicet ab iis se violenter abstrahere, in quæ propensa est natura vitiosa, & in id bonum summo studio incumbere, quo indigeas.* (*m*) Illa quoque in primis tibi cauenda vincendaque sunt, quæ tibi in aliis maxime & frequentissime displicent.

V. Fac, vt tibi ex vsu sint omnia: vt, si qua recte factorum exempla videas aut audias, ad imitandum accendaris: sin

(*l*) 2. *Pet.* 1. *v.* 10. (*m*) *Ps.* 37. *v.* 27.

sin aliquid vituperandum animaduertas, caueas, ne ipse idem facias: aut si quando feciſti, cito te ipsum corrigere studeas. Sicut tu in alios, sic alii vicissim in te coniectos habent oculos. (*n*)

VI. Quam iucundum & dulce est, videre ardentes & religiosos homines Christianos, bene moratos & Christi disciplinæ obtemperantes? Rursumque quam triste & graue est, videre intemperanter viuentes, & ea, ad quæ vocati sunt, non exercentes? Quam detrimentosum est, ordinis tui institutum deserere, & ad ea, quæ tibi mandata non sunt, inclinare? Memor esto instituti tui, & imaginem tibi propone crucifixi Christi, *teque pudeat eius inspecta vita, qui hactenus in illo imitando diligentiorem te non præstiteris, cum tamen Christianam vitam iam diu professus fueris.* Certe religiosus homo, si se attente & addicte in sanctissima illa Iesu vita & supplicio exercet, omnia

(*n*) *Matth. 7. v. 2.*

sibi vtilia & necessaria ibi abunde inveniet, nec opus est, vt extra Iesum aliquid melius quærat. Si Iesus crucifixus nobis in animum veniret, quam cito & satis docti euaderemus? (o)

VII. Ardens homo Christianus iussa facile capessit atque fert: idem si negligens & tepidus est, calamitatibus aliis super alias premitur, & vndique angoribus vexatur, quippe qui & interiori consolatione careat, & exteriorem quærere veretur. Et omnino *quisquis Christi disciplinæ limites excedit, is graui ruinæ subiectus est: & qui* laxiorem & *remissiorem vitam quærit, is semper angitur*: quia semper aliquid est, quod ei displiceat.

VIII. Propone tibi potius sanctorum illorum Christi apostolorum & discipulorum seueram illam & religionis plenam vitam, & eos tibi imitandos ducito,(p)ac de Dei erga te beneuolentia, quin tibi ad illa vires libenter

(o) 1. Cor. 2. v. 2. (p) Hebr. 13. v. 7.

ter conceſſurus ſit, dubitare noli. Hac via, virium ſpeique plenus euades: hac via, cæleſti paſſu ſic illuc contendes, vt humana omnia deſpicias.

VIIII. Atque vtinam nihil faciendum incumberet, quam vt Deum toto corde & ore laudaremus, eiusque præcepta exequeremur! Vtinam mundanis negotiis ſoluti ſola diuina ſumma ope totisque viribus curaremus! Nam *poſtquam eo peruenit homo, vt a nulla re mortali ſolatium quærat, tum demum fit, vt ei Deus vere ſapere incipiat:* vti omnem rerum euentum boni conſulat, nec rebus ſecundis lætitia efferatur, nec afflictis angatur, ſed ſeſe totum Deo confidenter committat, qui eſt omnia in omnibus, cui nihil perit aut moritur, ſed omnia viuunt, & ad nutum incunctanter inſeruiunt.

X. *Semper finem ſpectato, & perditum tempus nunquam reuerſurum memento.*

XI. Virtutem quidem ſine ſolicitu-

dine & diligentia nunquam assequeris. (q) Quod si tepescès, in deterius ferentur res tuæ : sin ardenti animo operi incumbes, altam pacem inuenies, leuioremque laborem senties, tum ob Dei erga te fauorem, tum ob tuum virtutis amorem. Homo ardens & diligens ad omnia paratus est.

XII. *Maioris est laboris, resistere vitiis & animi perturbationibus, quam corporis insudare laboribus.* Et qui parua delicta non vitat, is paullatim labitur in maiora. (r)

XIII. Gaudebis semper vespere, si diem impenderis fructuose. Tibi ipsi inuigila, teipsum excita & admone, teipsum noli negligere, (s) quidquid tandem aliis fiat. *Tantum proficies, quantum ipse tibi vim intuleris.*

LIBRI PRIMI FINIS.

DE

(q) *Rom.* 12. *v.* 11. (r) *Iac.* 1. *v.* 14.
(s) 1. *Cor.* 16. *v.* 13. 1. *Tim.* 5. *v.* 15. 16.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1857201116/phys_0128
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1857201116/phys_0129
DFG

DE IMITANDO CHRISTO

LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

De interiore hominis vita.

Regnum Dei intus in vobis est, inquit Dominus. (*a*) Conuerte te toto animo ad Dominum, relicto hoc misero mundo, & inueniet animus tuus requiem. *Disce exteriora contemnere, & interioribus te addicere, & videbis regnum Dei in te venire.* Est enim regnum Dei pax & gaudium in spiritu sancto, (*b*) quod non datur impiis. Veniet ad te Christus, suam tibi consolationem exhibiturus, si ei se dignam intus paraueris mansionem. (*c*) Intus enim situs est omnis eius splendor & pulchritudo, ibi liben-

(*a*) *Luc.* 17. *v.* 21. (*b*) *Rom.* 14. *v.* 17. (*c*) *Ioh.* 14. *v.* 23.

ter versatur. Frequens illi itio est ad hominem internum, dulcis sermocinatio, grata consolatio, multa pax, familiaritas singularis.

II. Agedum anima fidelis, præpara huic sponso cor tuum, quo ad te venire & in te habitare dignetur. Sic enim dicit: *Si quis me diligit, is dicta mea exequetur, & ego paterque meus ad eum veniemus, & apud eum degemus.* (*d*) Da ergo Christo locum, ceteris omnibus ingressum ad te denegans: illum si habebis, dives eris & copiosus. Ipse tibi prospiciet, tuaque omnia ita fideliter procurabit, vt in hominibus te spem habere nihil sit opus. Homines enim cito mutantur, velociterque deficiunt, (*e*) at Christus in perpetuum manet, suisque constanter adest ad extremum. (*f*)

III. Non est neque magna fiducia collocanda in homine fragili & mortali,

(*d*) *Ioh.* 14. *v.* 23. (*e*) *Ps.* 62. *v.* 10. (*f*) *Matth.* 28. *v.* 26. *Hebr.* 13. *v.* 5. 6. 8.

tali, etiamsi vtilis sit & carus, (g) neque magnopere dolendum, si is interdum aduersetur & contradicat. Qui hodie a te sunt, iidem cras vt aduersentur, fieri potest, & contra, quippe qui sæpe vt aura vertantur. *Tuam omnem fiduciam in Domino collocato*, (h) facitoque, vt hunc timeas, hunc ames. *Ipse tuam causſam probe aget*, & quam optime componet.

IIII. Non habes hic durabilem ciuitatem, (i) & vbicunque es, externus es & peregrinus, nunquam requiem adepturus, nisi cum Christo intime coniunctus. *Quid hic circumspicis, cum non sit iste locus tuæ quietis?* In cælestibus debet esse habitatio tua, (k) suntque tibi terrestria omnia obiter adspicienda, vt prætereant omnia, neque non tu itidem cum eis. Sic ea adspice, vt eis non adhærescas, ne captus pereas. (l) Ad supremum Deum ferantur cogi-

(g) *Psſ.* 118. *v.* 8. (h) *Psſ.* 37. *v.* 5. (i) *Hebr.* 13. *v.* 14. (k) *Phil.* 3. *v.* 20. (l) 1. *Ioh.* 2. *v.* 17.

cogitationes tuæ, *Christumque precibus sine intermissione interpellato.* (*m*)

V. Si ardua cælestiaque contemplari nescis, acquiesce in Christi supplicio, inque vulneribus eius libenter habita. Si enim ad salutaria illa Christi vulnera vibicesque religiose confugeris, magnam in rebus aduersis confirmationem senties, (*n*) nec multum curabis hominum despicientiam tui, & facile eorum calumnias feres.

VI. Ipsemet Christus in mundo fuit hominibus despectui, (*o*) & in maxima necessitate a notis & amicis inter probra derelictus. (*p*) Christus ipse pati voluit & despici, & tu de vllo audebis conqueri? Christus aduersarios habuit & maledicos, (*q*) & tu tibi vis omnes amicos esse & benedicos? Vnde coronabitur patientia tua, si aduersi nihil

(*m*) 1. *Thess.* 5. *v.* 17. (*n*) 1. *Petr.* 2. *v.* 21. (*o*) *Es.* 53. *v.* 3. 1. *Petr.* 2. *v.* 23. (*p*) *Matth.* 26. *v.* 56. (*q*) *Matth.* 11. *v.* 19. *Ioh.* 7. *v.* 20.

hil occurrerit? (r) Si nihil, quod tibi contrarium sit, vis pati, quomodo eris amicus Christi? *Aduersa tibi & cum Christo & pro Christo ferenda sunt, si cum Christo regnare vis.* (s)

VII. Si vel semel in Iesu penetralia vere intrasses, eiusque amoris ardorem vel tantulum degustasses, non solum tua commoda aut incommoda nihil curares, verum etiam infamia tua gauderes: (t) *facit* enim *amor Iesu, vt seipsum homo contemnat.* Potest, inquam, amator Iesu, & vere interior homo, & intemperantium cupiditatum expers sese ad Deum libere convertere, ac supra seipsum spiritu elatus, eo quiete frui.

VIII. *Cui sapiunt omnia, vt reipsa sunt*, non vt dicuntur aut existimantur, *is vere sapiens est, & a Deo* potius *doctus*, quam ab hominibus. Qui & intus versari, & externa parui pendere scit,

(r) 2. *Tim.* 2. *v.* 11. 12. (s) *Rom.* 8. *v.* 17. 2. *Tim.* 2. *v.* 11. 12. (t) *Act.* 5. *v.* 41.

scit, is nec loca requirit, nec tempora exspectat ad religiosas exercitationes vsurpandas. *Cito se recolligit interior homo, quippe qui nunquam se totum extra effundat.* Non illi obest labor exterior, aut occupatio ad tempus necessaria: quin vt quæque eueniunt, sic ille se eis accommodat. *Qui intus rite compositus* & comparatus est, *is hominum* mirificos *peruersosque mores non curat.* Tantum quisque impeditur & distrahitur, quantum ad se res attrahit.

VIII. Si rite compositus ac probe purgatus esses, omnia tibi bono commodoque essent. (*u*) Ideo tibi multa displicent, teque sæpe perturbant, quia nondum tibimetipsi plane mortuus, nec ab omnibus terrestribus seiunctus es. Animum hominis nihil sic contaminat & implicat, vt impurus amor rerum creatarum. *Si externarum rerum consolationes aspernatur*

(*u*) *Rom.* 8. *v.* 28.

natus fueris, fiet, vt cæleſtia contemplari, & frequenter interius exultare queas.

CAPVT II.

De modeſtia & obedientia.

QVis a te ſit aut contra, noli magni pendere, ſed illud age & cura, vt tibi in cunctis operibus tuis adſit Deus, animumque habeas ſibi bene conſcium: ita fiet, vt te Deus probe defendat. Nam quem is tueri volet, huic nullius peruerſitas nocere poterit.

II. *Si tacere patique ſcies, auxilium Domini procul dubio videbis.* (x) Ipſe tui liberandi tempus nouit, ideoque te illi debes concredere. Dei eſt adiuuare, & hominem ab omni probro liberare.

III. Sæpe multum prodeſt ad nos magis magisque deprimendos, vitia no-

(x) *Pſ. 27. v. 14.*

noſtra ab aliis ſciri atque argui. Dum ſe homo ob vitia ſua demittit, facile alios placat, paruoque negotio ſibi irascentibus ſatisfacit.

IIII. *Demiſſum hominem Deus protegit & liberat*, (y) ad demiſſum ſeſe demittit, demiſſo multa largitur, eumque poſt ipſius depreſſionem ad gloriam extollit, (z) demiſſo arcana ſua patefacit, eumque ſuauiter ad ſe trahit & inuitat. (a) Demiſſus licet contumelia ignominiaque affectus, tamen pacato eſt animo, quippe Deo nixus, non mundo. *Noli te quidquam profeciſſe exiſtimare, niſi te omnium infimum eſſe ſentias.*

CAPVT III.

De bono & placido homine.

TIbimet primo pacem concilia: ita demum ceteros pacificare poteris. *Plus prodeſt homo pla-*

(y) *Pſ.* 34. *v.* 19. (z) *Pſ.* 9. *v.* 14. (a) *Matth.* 11. *v.* 25.

placidus, quam bene doctus. (*b*) At *contentiosus etiam bonum in malam partem trahit, & malum facile credit.* (*c*) Bonus & placidus homo omnia in bonam partem conuertit. (*d*) Qui pacato est animo, is de nullo sinistre suspicatur: (*e*) at *qui* sua sorte contentus non est, & variis *suspicionibus agitatur, is nec quiescit ipse, nec alios quiescere patitur.* Dicit sæpe, quod non debet, & omittit, quod fieri expediret. Quid aliorum sit officii, considerat, ipse sui negligens. Quare tuum officium in primis curato: ita demum alterius quoque officium merito curabis.

11. Tu facta tua excusare ac tolerare probe nosti, & aliorum excusationes non admittis. Aequius esset, vt teipsum accusans, alterum excusares. (*f*) *Si ferri vis, ferto tu vicissim alterum:*

(*b*) *Prou.* 15. *v.* 18. 1. *Cor.* 8. *v.* 1. (*c*) *Prou.* 17. *v.* 4. (*d*) *Prou.* 15. *v.* 18. (*e*) 1. *Cor.* 13. *v.* 4. (*f*) 1. *Pet.* 4. *v.* 9.

rum: ac vide, quam procul abſis adhuc a vera caritate atque modeſtia, quæ nulli, niſi ſibimetipſi, indignari iraſciue nouit.

III. Cum bonis & manſuetis rem habere haud magnum eſt, quippe cum id omnibus naturaliter iucundum ſit, & pacem quisque exoptet, ſibique conſentientes plus ceteris diligat. (g) Sed cum duris & peruerſis, nobisque adverſantibus, aut male moratis, pacate poſſe viuere, hoc vero magni fortisque viri eſt, & magna laude digni.

IIII. Sunt autem, qui & ipſi ſecum & cum aliis pacem colunt. *Sunt, qui nec ipſi pace fruuntur, nec alios eadem frui ſinunt, graues illi quidem ceteris, ſed ſibimetipſis ſemper grauiores.* Sunt & qui tum ſeipſos in pace retinent, tum alios ad pacem reducere ſtudent. Ceterum omnis pax noſtra in hac miſera vita potius in modeſta tolerantia ponenda eſt, quam in non ſentiendo ad-

(g) *Matth. 5. v. 45.*

aduersa. (*h*) Quo quisque magis & aduersa pati nouit, eo maiore pace fruitur, (*i*) idemque & victor est sui, (*k*) & dominus mundi, & amicus Christi, & hæres cæli. (*l*)

CAPVT IIII.

De mentis sinceritate, intentionisque simplicitate.

DVabus alis *homo supra terrestria attollitur*, *simplicitate* videlicet & *sinceritate*. (*m*) Simplicitas intentionis, sinceritas affectionis est: illa Deum intendit, hæc apprehendit & gustat. Nulla te bona actio impediet, si animum habebis ab omni intemperato affectu liberum. Si nihil aliud, quam Dei voluntatem & alterius vtilitatem intendes & quæres, frueris animi libertate.

(*h*) *Luc.* 21. *v.* 19. (*i*) *Matth.* 5. *v.* 5. (*k*) *Prou.* 16. *v.* 32. (*l*) *Rom.* 8. *v.* 17. (*m*) *Matth.* 10. *v.* 16.

II. Si rectus esset animus tuus, esset tibi *vniuersa rerum natura speculum vitæ, & liber sanctæ doctrinæ.* Nam nulla tam parua tamque vilis res est, quæ Dei bonitatem non repræsentet. (*n*) Quod *si bonum purumque animum haberes, omnia sine impedimento videres,* (*o*) & probe perciperes. *Purus* enim *animus & cælum penetrat & orcum:* ac qualem quisque animum habet, sic & de rebus externis iudicat.

III. Si vsquam gaudium est, eo fruitur puri cordis homo: (*p*) rursum, si vsquam est calamitas & angustia, eam melius nouit nemo, quam animus sibi male conscius. (*q*) Sicut ferrum coniectum in ignem rubiginem amittit, totumque candens efficitur; sic homo ad Deum se totum conuertens, torporem exuit, & in nouum hominem mutatur.

IIII. Tepescens homo vel tantulum

(*n*) *Ps.* 19. *v.* 2. (*o*) *Matth.* 6. *v.* 22. (*p*) *Ps.* 73. *v.* 1. (*q*) *Ies.* 57. *v.* 20. 21.

lum laborem refugit, & externam ambit consolationem, idem si serio seipsum vincere, diuinaque via viriliter ingredi cœpit, fit, vt, quæ prius grauia sentiebat, eadem nunc leuia ducat.

CAPVT V.

De sui consideratione.

NObis ipsis nimis credere non debemus: (r) *nam sæpe & dotes nobis & sensus deest.* Exiguo lumine præditi sumus, & idipsum negligentia facile amittimus. Sæpe etiam tam cæco esse nos animo non advertimus: sæpe & peccamus, & peccatum insuper peius excusamus, & interdum cupiditate perciti, studium putamus.

II. In aliis parua reprehendimus: ipsi nostra maiora præterimus. (s) Quæ ab aliis nobis inferuntur, ea facilli-

(r) *Luc.* 18. *v.* 9. (s) *Matth.* 7. *v.* 3.

cillime sentimus & magni pendimus: quid a nobis ferant alii, non aduertimus. Enimuero *si quis sua bene riteque perpenderit, is, cur de altero grauius iudicet, causſam non habebit.* (t)

III. Interior homo suiipsius curam omnibus curis anteponit: & qui sibimetipsi diligenter intendit, is facile de altero tacet. Interior & religiosus nunquam eris, nisi de altero silebis, & in teipsum inprimis intueberis. *Si tibi & Deo totus intendes, parum te mouebunt, quæ extrinsecus accident.* (u) Vbinam es, dum ipse tibi præsens non es? aut postquam omnia percurristi, quid te neglecto profecisti? Vt veram pacem & concordiam adipiscaris, necesse est, vt omnibus postpositis te solum ob oculos habeas.

IIII. Itaque & multum proficies, si omni humana cura supersedebis: & multum decresces, si quid humanum magnifacies. Nihil altum, nihil magnum,

(t) *Matth.* 18. *v.* 32. (u) 2. *Cor.* 4. *v.* 17.

gnum, nihil gratum, *nihil acceptum tibi sit, nisi quod aut plane Deus, aut Dei sit:* (v) a rebus quidem creatis quidquid solatii affertur, id totum inane ducito. (x) Dei amans anima præ Deo despicit vniuersa. (y) Solus Deus æternus, immensus, implens omnia, solatium est animæ, & vera cordis lætitia. (z)

CAPVT VI.

De bonæ conscientiæ lætitia.

BOni viri gloria in animi sibi bene conscii testimonio posita est. (a) Esto tibi bene conscius, & perpetua frueris lætitia. (b) *Bene sibi conscius animus, & plurima ferre potest, & inter aduersa etiam exultare lætitia.* At male sibi conscius semper timidus

F 3

(v) *Ps.* 73. *v.* 28. (x) 1. *Cor.* 7. *v.* 29. (y) *Phil.* 3. *v.* 8. (z) *Ps.* 73. *v.* 25. (a) 2. *Cor.* 1. *v.* 12. (b) *Act.* 5. *v.* 41.

midus est, & inquietus. (*c*) Suauiter requiescès, si te animus tuus non reprehendet.

II. Noli lætari, nisi cum benefeceris. (*d*) Mali nunquam nec vera lætitia fruuntur, nec animi pacem experiuntur, quippe cum impii (vt ait Dominus) (*e*) sunt pacis expertes. Quod si se in pace degere, nec malis inuadendos, nec quemquam sibi nocere ausurum dixerint, eis ne credito. nam tanta in eos repente existet ira Dei,(*f*) vt &in nihilum redigantur eorum actiones, & pereant cogitationes.

III. De calamitate gloriari, amanti difficile non est: (*ff*) sic enim gloriari, est de Domini cura gloriari. Brevis est gloria, quæ ab hominibus vel tribuitur vel accipitur, *humanamque gloriam semper comitatur tristitia. Bonorum gloria in ipsorum conscientia,*

(*c*) *Iesa.* 57. *v.* 20. (*d*) 1. *Cor.* 13. *v.* 6. (*e*) *Iesa.* 57. *v.* 21. (*f*) *Rom.* 1, *v.* 18. 1. *Thess.* 5. *v.* 3. (*ff*) *Rom.* 5. *v.* 3.

tia, (*g*) *non in hominum ore sita est.* Iustorum lætitia & de Deo & in Deo est, eorumque gaudium de veritate. (*h*) *Qui veram æternamque gloriam cupit, is temporariam non curat:* qui vero temporariam aut quærit, aut non ex animo contemnit, is omnino minus amat cælestem. *Magnam habet animi tranquillitatem, qui nec laudes, nec probra curat.* (*i*)

IIII. Facile sorte sua contentum pacatumque se præbet is, cuius conscientia munda est. (*k*) Neque sanctior es, si laudaris, neque deterior, si vituperaris: idipsum es, quod es, neque maior dici potes, quam quantus Dei iudicio es. Si attendes, quid intus in animo sis, non curabis, quid de te foris loquantur homines. Homo vultum, Deus animum videt: (*l*) Homo facta, Deus consilia pensat. (*m*)

(*g*) 2. *Cor.* 1. *v.* 12. (*h*) 1. *Cor.* 13. *v.* 6. (*i*) 1. *Cor.* 4. *v.* 3. (*k*) *Phil.* 4. *v.* 12. (*l*) 1. *Sam.* 16. *v.* 7. (*m*) *Ps.* 7. *v.* 12.

V. *Semper bene facere, & seipsum parui pendere, modesti animi indicium est.* Nullius humanæ rei solatium admittere, singularis sinceritatis & intimæ fiduciæ argumentum est.

VI. Qui nullum aliunde de se testimonium quærit, non dubium est, quin is se totum Deo commiserit. Non enim, qui seipsum commendat, is probandus est, inquit Paullus, (*n*) sed quem Deus commendat. Habere cum Deo negotium in animo, nec vlla affectione extrinsecus agitari, status est hominis interioris. (*o*)

CAPVT VII.

De Iesu super omnia amando.

BEatus, qui intelligit, quid sit Iesum amare, & seipsum propter Iesum contemnere. Ob diligendum

(*n*) 2. Cor. 10. v. 18. (*o*) Psl. 16. v. 8.

dum relinquendus est dilectus, quandoquidem vult Iesus, se solum amari supra omnia. (*p*)

II. Est humanarum rerum dilectio fallax & instabilis: at Iesu fidelis & durabilis. (*q*) Humanæ rei qui adhæret, is cum caduco casurus est; at Iesum qui amplectitur, is in perpetuum consistit. (*r*) Illum dilige, eius amicitiam retine, qui omnibus discedentibus non sit te derelicturus, neque tandem perire passurus. Ab hominibus velis nolis aliquando diuelleris: quocirca *tum viuens, tum moriens adhæresce Iesu*, eiusque fidei te committe, *qui* omnibus deficientibus *solus tibi opem ferre potest*. Est ille tuus amicus eo ingenio, vt alienum non admittat, sed solus animum tuum sibi vendicet, & in eius solio tanquam rex sedeat.

III. Quod *si rerum omnium humanarum*

(*p*) *Luc.* 14. *v.* 33. (*q*) *Ioh.* 13. *v.* 1. *c.* 15. *v.* 9. (*r*) 1. *Ioh.* 2. *v.* 17.

narum ſocietatem abiicere ſcires, libenter tecum habitaret Ieſus. (s) Pene totum perditum inuenies, quidquid extra Ieſum in quemcunque impenderis. Noli confidere aut inniti nutanti calamo: nam mortales omnes herba ſunt, & eorum omnis gloria floris inſtar cadit. *(t)* Facile decipieris, ſi duntaxat in hominum ſpeciem oculos conieceris. Nam ſi in aliis ſolativm lucrumque tuum quæres, ſæpe detrimentum patiere; ſi Ieſum in omnibus quæres, Ieſum vtique inuenies: ſin teipſum quæres, teipſum equidem inuenies, ſed ad tuam perniciem. Nam *ipſe ſibi quisque plus nocet, ſi Ieſum non quærit, quam vniuerſus orbis, omnesque aduerſarii.*

CAP.

(s) Iob. 14. v. 23. (t) 1. Pet. 1. v. 24.

CAPVT VIII.

De familiari amicitia Iesu.

DVm Iesus adest, bene se habent omnia, nec quidquam difficile videtur: eodem absente, omnia dura sunt. Iesu in hominis animo non loquente, quæuis consolatio parum habet momenti: eodem vel vnum verbum loquente, mera sentitur consolatio. Sic Maria Magdalena de loco surrexit, in quo flebat, simul atque magistrum adesse, ipsamque vocari ei Martha nuntiauit. (*u*)

II. Felix hora, qua Iesus a lacrimis vocat ad gaudium spiritus. Quam aridus & durus es sine Iesu? quam insipiens & vanus, si cupis aliquid extra Iesum? maiore profecto iactura, quam si totum mundum perderes. Quid enim potest conferre mundus sine Iesu? Esse sine Iesu, acerba mors; cum eodem esse, vita dulcis est. Si tecum

(*u*) *Ioh.* 11, *v.* 28.

cum erit Iesus, nullus nocere poterit inimicus. (v) Iesum qui inuenit, bonum thesaurum inuenit, vel potius summum bonorum; eundem qui amittit, nimium amittit. Quid dixi nimivm? plus amittit, quam si vniuersum orbem amitteret. Sine Iesu qui viuit, pauperrimus est: cum Iesu cui bene conuenit, ditissimus est.

III. Cum Iesu versari, magnæ artis est, eundemque scire retinere, magnæ prudentiæ. Esto modestus & placidus, & tibi aderit Iesus. Esto religiosus & quietus, & tecum permanebit Iesus. Eundem facile fugaueris, eiusque gratiam amiseris, si ad exteriora deflexeris. Quod si illum fugatum amiseris, ad quem tunc confugies? aut quem tunc quæres amicum? Sine amico quidem diu viuere non potes: quod si Iesus tibi præ ceteris omnibus amicus non erit, desertus ab eo supra modum dolebis. (x) Itaque stulte facis,

(v) *Ioh.* 10. *v.* 28. (x) *Cant.* 5. *v.* 6.

facis, si vlli alii confidis, aut alio lætaris. *Præstat vel totum orbem, quam vnum Iesum habere infensum.*

IIII. Quamobrem omnium, qui cari sunt, sit Iesus longe dilectissimus: ceteri propter Iesum, Iesus propter seipsum diligatur. Solus Iesus Christus singulariter est amandus, qui solus amicorum bonus & fidelis inueniatur. Propter hunc & in hoc tibi cari esse debent tum amici, tum inimici, (y) idemque pro omnibus illis orandus est, vt eum omnes cognoscant & diligant.

V. *Nunquam cupias singulariter laudari & amari: hoc enim Dei est, qui parem non habet,* (z) neu velis, vt cuiusquam animus tibi sit addictus, neu tu in cuiusquam amore occuperis: sed & in te & in omnibus bonis viris sit Iesus.

VI. Mundum liberumque animum

G ha-

(y) *Matth.* 5. *v.* 44. (z) *Dan.* 3. *v.* 29.

habeto, (*a*) & ab omni humanarum rerum impedimento vacantem. Nam mundus sis oportet, & sincerum animum ad Iesum afferas, si vis vacare, & quam suauis sit Dominus, videre. Et quidem eo nunquam peruenies, nisi eius fauore præuentus & attractus, (*b*) vt omnibus abolitis & abdicatis (*c*) solus soli copuleris. Nam *si Dei fauor homini interuenit, fit, vt nihil non possit homo*: (*d*) Idem si discessit, pauper est & infirmus, & quasi tantum ad flagella relictus.

VII. Quæ dum fiunt, deiici non debes, aut desperare, sed erga Dei voluntatem æquum animum gerere, omnesque casus tuos ad Iesu Christi laudem perpeti; (*e*) nam hiemem sequitur æstas, & post noctem redit dies, & tempestati succedit magna serenitas. (*f*)

CAP.

(*a*) *Iac.* 1. *v.* 21. (*b*) *Ioh.* 6. *v.* 44. (*c*) *Ioh.* 12. *v.* 25. (*d*) *Phil.* 4. *v.* 13. (*e*) 1. *Pet.* 1. *v.* 7. (*f*) *Tob.* 3. *v.* 23.

CAPVT VIIII.

De vacuitate ſolatii.

NON arduum eſt, humanum contemnere ſolatium, dum adeſt diuinum. Sed *tum humano, tum diuino poſſe carere ſolatio*, & ob Dei gloriam animi exilium libenter ferre, & nulla in re ſibi ſtudere, aut meritum ſuum ſpectare, *hoc* demum magnum eſt, vel potius *maximum*. Quid magni eſt, ſi dum Dei fauor adeſt, tu hilaris es & religioſus? quis illam horam non optet? Suauiter equitat, quem Dei gratia portat: & quid mirum, ſi onus non ſentit, qui portatur ab omnipotente, & ducitur a ſummo ductore?

II. Libenter alicuius rei ſolatio adhæreſcimus, & difficulter homo ſeipſo exuitur, multumque & diu certandum eſt homini, antequam diſcat ſeipſum plene ſuperare, ſuosque ſenſus omnes ad Deum trahere. *Quamdiu ſeipſo nititur*

titur homo, facile delabitur ad humana solatia: sed Christi verus amator, & studiosus virtutum sectator ad solatia illa non declinat, nec tales sensuum dulcedines quærit, sed potius vehementes exercitationes, & pro Christo duros labores. (*g*)

III. Igitur si *quando tibi spirituale solatium* diuinitus *datur*, *id tu* cum gratiarum actione accipito, & *Dei munus*, *non meritum tuum*, *esse scito*, *neue eo superbito.* (*h*) Noli dono nimium gaudere, aut inaniter insolescere, sed esto potius tanto modestior, neque non in cunctis actionibus tuis cautior atque timidior. (*i*) Nam præteribit tempus illud solatii, sequeturque tentatio.

IIII. Igitur *sublato solatio ne protinus desperato, sed cælestem opem cum modestia & patientia exspectato.* (*k*) Potest enim Deus ampliore te & dono & con-

(*g*) 2. *Cor.* 4. *v.* 8. *Gal.* 5. *v.* 14. (*h*) 1. *Cor.* 4. *v.* 7. (*i*) *Rom.* 11. *v.* 20. (*k*) *Rom.* 15. *v.* 4.

& consolatione iterum afficere. (*l*) Neque vero nouum istud est, aut insolens, expertis viam Dei. Siquidem præcipuæ sanctitatis homines, priscique vates, huiusmodi vicissitudinem sæpe sunt experti. Itaque quidam divina ope fultus ita dicebat: *Equidem cum in tanta felicitate essem, nunquam mihi labefactandus videbar.* Eadem sublata quid sibi euenerit, subiungit his verbis: *Deinde te vultum tuum abdente, perturbatus sum.* Interea tamen nequaquam desperat, sed tanto vehementius Dominum orat, atque ita dicit: *Inuocaui te, Domine, supplicavi Domino.* Tandem supplicationis suæ fructum reportat, seque exauditum testatur, dicens: *Exaudiuit Dominus, meique misertus est.* Sed in quonam? *Tu meum mœrorem*, inquit, *in chorum vertisti, meque exutum centone, amiciuisti gaudio.* (*ll*) Quod si hæc tantæ sanctitatis viris contigerunt,

(*l*) 2. Cor. 1. v. 4. (*ll*) Ps. 30. v. 7 -- 12.

nobis humilibus & inopibus desperandum non est, si modo in frigore, modo in ardore sumus: quandoquidem spiritus venit abitque arbitratu suo. Eam ob caussam dicit Iobus: (*) *Eum tanti facis, eius vt rationem habeas, eumque quotidie cures, & per singula momenta explores.*

V. Quanam ergo in re spem habere, aut cui confidere debeo, nisi soli illi summæ Dei misericordiæ gratiæque cælesti? Nam licet adsint homines boni, religiosique fratres, & amici fideles, aut sancti libri & elegantes sermones, aut dulces cantus & carmina; omnia hæc parum iuuant, parum arrident, si diuina ope destitutus, meæ sum relictus inopiæ. Tunc nullum est melius remedium, quam patientia & abnegatio mei secundum Dei voluntatem. (*m*)

VI. Equidem in nullum vnquam incidi religiosum hominem, cui non aliquando

(*) *c. 7. v. 16.* (*m*) *Luc. 9. v. 23. cap. 13. v. 9.*

quando ſubtractum fuerit diuinum præſidium, aut qui non ſenſerit ardoris diminutionem: nec exſtitit vllus vnquam vir ſanctus tam alte raptus & illuminatus, quin is vel citius, vel ſerius, aliquando certe fuerit tentatus. Non eſt dignus alta Dei contemplatione, qui pro Deo non fuit exercitatus aliqua miſeria.

VII. Solet enim præcedens tentatio ſequentis conſolationis eſſe ſignum. Nam iis, qui tentationibus explorati ſunt, cæleſtis promittitur conſolatio. (*n*) *Qui vicerit*, inquit, (*o*) *dabo ei edere de arbore vitæ. Et datur conſolatio diuina, vt ſit homo fortior ad aduerſa perferenda. Et ſequitur tentatio, ne bono ſuperbiat.* (*p*)

VIII. Non dormit diabolus, (q) nec adhuc mortua eſt caro: (*r*) ideoque nunquam intermittito teipſum ad

(*n*) *Iac.* 1. *v.* 12. (*o*) *Apoc.* 2. *v.* 7. (*p*) 2. *Cor.* 12. *v.* 7. (*q*) 1. *Pet.* 5. *v.* 8. (*r*) *Gal.* 5. *v.* 17.

certamen præparare : nam a dextra finiſtraque ſunt hoſtes irrequieti.

CAPVT X.

De gratitudine erga Dei beneficia.

QVid quæris quietem, cum natus ſis ad laborem ? (*s*) *Dede te potius patientiæ*, (*ſ*) *quam conſolationi, & cruci portandæ, quam lætitiæ.* Quis enim vel mundanus homo non libenter conſolatione ſpirituali ſemper fruatur, ſi ſemper potiri queat ? quippe quæ omnibus mundi deliciis carnisque voluptatibus antecellat. Nam *omnes mundanæ deliciæ aut turpes ſunt, aut vanæ* : (*t*) *at ſpirituales ſolæ iucundæ*, ſolæ honeſtæ, ex virtutibus progenitæ, & a Deo puris infuſæ mentibus. (*u*) Sed eiusmodi ſunt diuina hæc ſolatia, vt eis nemo ſuo arbitrio

(*s*) *Iob.* 5. *v.* 7. (*ſ*) *Luc.* 21. *v.* 19. (*t*) 1. *Pet.* 2. *v.* 12. (*u*) *Rom.* 14. *v.* 17.

bitrio frui queat, quippe cum non diu ceſſet tentatio. (v)

II. *Multum aduerſatur cæleſti auxilio falſa libertas animi, nimiaque ſui confidentia:* & Deus bene facit, qui in hominem ſolatii beneficium conferat: ſed homo male facit, qui non totum Deo cum gratiarum actione acceptum ferat. (x) *Hinc fit, vt in nos influere diuina dona ideo nequeant, quia ingrati ſumus in auctorem, nec omnia refundimus in fontis originem.* Gratiam enim qui habet, nouam provocat: & a ſuperbe ingratis auferri ſolet, quod in modeſte gratos conferatur. (y)

III. Nolo ſolatium, quod mihi auferat aculeos, nec affecto rerum perſpicientiam, quæ me euehat in ſuperbiam. (z) Non enim quidquid altum eſt, idem & ſanctum: nec omnis cupiditas pura eſt: nec quidquid dulce, idem & ſalubre: nec quidquid homini

(v) *Luc.* 4. *v.* 13. (x) 1. *Theſſ.* 5. *v.* 17. (y) *Matth.* 25. *v.* 28. (z) 1. *Cor.* 8. *v.* 1.

mini carum, idem & Deo gratum. (*a*) *Libenter ea beneficia accipio, quibus modestior timidiorque reddar, & ad meipsum relinquendum paratior.*

IIII. Qui acceptis a Deo beneficiis, & iisdem postea subtractis doctus atque castigatus est, is sibi nihil audet boni arrogare, (*b*) sed potius inopem se nudumque confitetur. Da Deo, quod Dei est, (*c*) tibi adscribe, quod tuum est: hoc est, Deo gratias pro beneficiis age, (*d*) tibi vero culpam tribue, & pro culpa pœnas deberi censeto. (*e*)

V. *Habeto te semper infimo loco*, (*f*) *& tibi dabitur summus*: nam sine infimo summus non constat. Quos Deus nomine sanctitatis pro summis habet, ii seipsos pro minimis habent: quantoque sunt glorioſiores, tanto se gerunt submissius, pleni veritate & gloria cælesti, non vanæ gloriæ cupidi. Qui

(*a*) *Luc.* 16. *v.* 15. (*b*) 1. *Cor.* 4. *v.* 6. (*c*) *Matth* 22. *v.* 21. (*d*) 1. *Thess.* 5. *v.* 18. (*e*) *Dan.* 9. *v.* 7. (*f*) *Luc.* 14. *v.* 8.

Qui Deo nixi consistunt, ii vt insolescant, fieri nullo modo potest: & qui Deo adscribunt, quidquid boni adepti sunt, ii mutuam gloriam non ambiunt, sed eam, quæ a solo Deo est, volunt, Deumque tum in se tum in omnibus ceteris sanctis hominibus laudari supra omnia cupiunt, semperque eodem tendunt.

VI. Quocirca *gratum te in paruis præstato, & dignus eris, qui maiora consequare.* (g) Sint tibi vel minima viliſſimaque dona pro maximis & eximiis. Nam si datoris dignitas spectatur, nullum donum aut munus parvum aut vile videri debet. (h) Non enim paruum munus est, quod a summo Deo donatur, vsque adeo, vt si vel pœnas & verbera donet, id gratum esse debeat, vtpote cum semper ad salutem nostram faciat, quidquid nobis vsu venire permittit. *Qui Dei gratiam retinere cupit, is se & gratum pro*

(g) *Matth. 25. v. 21.* (h) *Iac. 1. v. 16.*

collatis & patientem ſublatis beneficiis præbeto, vtque redeant orato, & ne amittat, cautus & modeſtus eſto.

CAPVT XI.

De paucitate amatorum crucis Ieſu.

HAbet nunc *Ieſus regni ſui cæleſtis amatores multos; ſed crucis geſtatores paucos:* habet conſolationis cupidos multos; ſed calamitatis paucos: menſæ ſocios inuenit frequentes; ſed continentiæ paucos. Cum Chriſto gaudere volunt omnes; ſed cum eodem aduerſa ferre pauci. (*i*) *Ieſum multi ad panis vſque fractionem ſequuntur*; (*k*) *ſed ad ſupplicii calicem potandum pauci:* (*l*) Eius miracula venerantur multi; ſed crucis ignominiam ſequuntur pauci. Ieſum multi diligunt, quamdiu ad-

(*i*) *Matth.* 20. *v.* 22. (*k*) *Ioh.* 6. *v.* 26. (*l*) *Matth.* 26. *v.* 56.

aduersa non contingunt: eundem multi laudant & gratias agunt, quamdiu aliquid solatii ab eo accipiunt. Idem si se abscondit, & paulisper eos relinquit, aut in querimonias, aut in animi deiectionem nimiam cadunt.

II. At qui Iesum propter Iesum, non propter vllum suum ipsorum solatium diligunt, illi eum in calamitatibus & animi angoribus æque ac in summis solatiis concelebrant, eique semper gratias agunt, (*m*) idem facturi, etiamsi ille omnem eis consolationem in perpetuum denegaret: tantum potest merus amor Iesu, nullo priuato commodo aut amore sui permixtus.

III. Itaque omnes *mercenarii dicendi sunt, qui semper quærunt solatia*: omnes sui magis, quam Christi amatores esse, perspicuum est, qui sua commoda lucraque semper cogitant. (*n*)

(*m*) *Matth.* 5. *v.* 11. *Act.* 5. *v.* 41. (*n*) *Matth.* 10. *v.* 38.

Gratis quidem ſeruire Deo qui velit, quotusquisque eſt? aut qui ſit ita ſpiritualis, vt omnibus humanis rebus ſit nudatus? Vere, inquam, animo pauperem, & ab omnibus mundanis rebus nudum quis inueniat? pretioſum illum, & ab vltimis vſque orbis finibus petendum.

IIII. Si vel omnes facultates ſuas impendat homo, nihil adhuc egit: & ſi graui ſe peccatorum pœnitentia caſtiget, adhuc parum eſt: & ſi ſcientiam omnem percipiat, adhuc longe abeſt: & ſi ſingulari virtute, ardentiſſimaque ſit religione præditus, adhuc multum ei deeſt, vnum ſcilicet, (o) quod ei ſumme neceſſarium eſt. Sed quidnam illud tandem? nimirum vt ceteris omnibus relictis ſeipſum relinquat, totusque ex ſeipſo egreſſus, nihil priuati amoris retineat. Quum omnia fecerit, quæ facienda ſciuerit, nihil ſe feciſſe ſentiat, neue magni pendat,

(o) *Luc.* 10. *v.* 42.

dat, quod magnus haberi possit, sed vere inutilem seruum se pronuntiet, sicvt veritas ait: *Quum feceritis omnia, quæ vobis præcepta sunt, tamen ita dicitote: Serui sumus inutiles.* (*) Tum demum animo inops & nudus erit, eique cum vate illo dicere licebit: (†) Solus & inops ego sum. Et tamen illo nemo ditior, nemo liberior, nemo potentior, qui & se & omnia relinquere sciat, & ad infima se deiicere. (*p*)

CAPVT XII.

De Christi cruce ferenda.

DVrum multis videtur dictum hoc: *Abnega temetipsum, tolle crucem tuam, & Iesum sequere.* (*q*) Sed *multo durius* erit illud vltimum: *Ite hinc exsecrabiles in ignem æternum.* (*r*) Qui enim nunc libenter

(*) *Luc.* 17. *v.* 10. (†) *Ps.* 25. *v.* 17. (*p*) *Matth.* 5. *v.* 3. (*q*) *Matth.* 16. *v.* 24. (*r*) *Matth.* 25. *v.* 40.

ter audiunt & sequuntur dictum crucis, ii tunc non horrebunt tristem illam æterni supplicii sententiam. Atque hoc erit signum crucis in cælo, quum Dominus ad iudicandum veniet. Tunc omnes serui crucis, qui vitam crucifixo congruam vixerint, ad Christum accedent iudicem cum magna fiducia. (s)

II. *Quid* igitur *crucem tollere dubitas, per quam itur ad regnum?* (ſ) In cruce salus est, in cruce vita, in cruce præsidium aduersus hostes, in cruce infusio supernæ suauitatis, in cruce robur mentis, in cruce gaudium spiritus, in cruce virtus summa, in cruce perfectio sanctitatis; denique absque cruce nec animæ salus, nec æternæ vitæ spes est. Tolle ergo crucem tuam, & sequere Iesum, (ſſ) & ibis in vitam æternam. Processit ille ferens crucem suam, (ſs) & in cruce pro te mor-

(s) *Sap.* 5. *v.* 1. (ſ) *Luc.* 24. *v.* 26. (ſſ) *Luc.* 9. *v.* 23. (ſs) *Ioh.* 19. *v.* 17.

mortuus est, vt tu quoque crucem feras, & in cruce mori cupias. (*t*) Nam si vna cum eo mortuus fueris, vna etiam viues: (*u*) *& si socius fueris supplicii, socius eris & gloriæ.*

III. Etenim vt hoc scias, *in cruce atque in moriendo sita sunt omnia*, nec ad vitam veramque pacem animi vlla alia via est, quam crucis, & quotidianæ enectionis sui. (*v*) Quocunque te vertas, in quamcunque partem coniicias oculos, nullam vsquam supra infraue vel altiorem vel tutiorem viam inuenies, quam crucis. (*x*) Omnia arbitrio iudicioque tuo componas licet atque compares, fieri non poterit, quin tibi vel volendi vel inuito semper sit aliquid patiendum, semperque in crucem incurras. Aut enim corporis dolorem experiere, aut animi ægritudine cruciabere. Interdum a Deo derelinqueris, interdum ab altero exerceberis: &

(*t*) 1. *Pet.* 2. *v.* 21. (*u*) *Rom.* 6. *v.* 8. (*v*) *Rom.* 6. *v.* 3. (*x*) *Act.* 14. *v.* 22.

& quod grauius est, sæpe tibimetipsi gravis eris: idque ita, vt nullo remedio queas aut solatio liberari, quin tibi, quamdiu volet Deus, id sit perferendum. *Vult* enim *Deus*, *vt miseriam sine consolatione pati discas*, eique te totum subiicias, & modestior calamitate fias. (*y*)

IIII. Christi supplicium nemo sic animo sentit, vt is, cui similia pati contingit. Crux igitur semper parata est, & vbique te manet, nec effugere potes, quocunque curras: nam quocunque veneris, teipsum tecum portas, & semper teipsum inuenies. Converte te sursum, conuerte deorsum, conuerte extrorsum & introrsum, vbicumque crucem inuenies, ac necesse est, vt vbicumque patientiam teneas, si animi pace frui, & perpetuam obtinere vis coronam.

V. *Si tu crucem libenter portabis, ipsa te vicissim portabit*, & ad optatum finem

(*y*) *Ps.* 119. *v.* 71.

finem perducet, vbi videlicet patiendi finis erit, qui quidem hic futurus non est. *Sin inuitus portabis, onus tibi facies, & teipsum magis grauabis, & tamen ferendum erit. Si crucem vnam abiicies, in alteram profecto incurres,* & quidem forsitan grauiorem.

VI. Tene speras euasurum, quod nulli mortalium licuit declinare? (z) Quis sanctorum virorum in orbe sine cruce fuit & miseria? Ipse Dominus noster Iesus Christus nullam horam fuit expers doloris & cruciatus, quamdiu in hoc orbe vixit. Oportebat enim Christum pati, & a mortuis resurgere, atque ita gloriam suam inire, (a) & tu aliam viam quæres, ac non regiam hanc viam crucis? Tota vita Christi crux fuit & cruciatus, & tu tibi requiem quæres & lætitiam? Erras, erras, si aliud quæris, quam calamitatum perpessionem: quippe cum tota hæc vita mortalis plena sit miseriis.

(z) *Iob. 5. v. 7. c. 14. v. 1.* (a) *Luc. 24. v. 26.*

riis, (*b*) & circumsepta crucibus, ac *quanto quisque in rebus diuinis maiores progressus habet, tanto sæpe in graviores cruces incidit*, vtpote cum calamitatis dolor magis amore crescat.

VII. Neque tamen iste tam multis calamitatibus pressus hic, de quo loquor, caret leuamento consolationis, quandoquidem ex hac cruce sua vberem fructum percipere se sentit. Nam dum se cruci sponte subiicit, fit, vt omne calamitatis onus in diuinæ consolationis fiduciam conuertatur: (*c*) ac *quanto magis labefactatur calamitate caro, tanto magis animi consolatione corroboratur spiritus*, adeoque nonnunquam confirmatur sensu calamitatis & rerum aduersarum (tantus est amor similitudinis crucis Christi) vt dolore & miseria vacare non optet: quoniam tanto se Deo acceptiorem esse credit, quanto plura & grauiora pro eo ferre potest.

VIII.

(*b*) *Iob. 7. v. 1.* (*c*) *2. Cor. 7. v. 4.*

VIII. Neque fero fit illud hominis virtute, ſed *Chriſti beneficio*, quod tantum poteſt, tantumque perficit in carne fragili, vt, quod naturaliter ſemper abhorret & fugit homo, id ardore ſpiritus adgrediatur & amet. (*d*) Non humanæ facultatis eſt, crucem ferre, crucem amare, corpus domare & ſubigere, fugere honores, libenter ferre contumelias, ſeipſum deſpicere, & deſpici optare, aduerſa quæque cum damnis perpeti, & nihil proſperitatis in hoc orbe cupere. Horum tu nihil tuo marte poteris, ſi a teipſo pendebis: (*e*) *ſin Domino confides, dabitur tibi de cælo fortitudo,* (*f*) *tuæque ditioni ſubiicietur mundus & caro,* quin ne diaboli quidem inimicitias timebis, ſi fide armatus, (*g*) & Ieſu cruce ſignatus eris.

VIIII. Quamobrem applica te, ſicuti fidelem bonumque Chriſti ſeruum de-

(*d*) *Phil.* 4. *v.* 12 (*e*) 2. *Cor.* 1. *v.* 9. (*f*) *Luc.* 22. *v.* 43. (*g*) 1. *Pet.* 5. *v.* 9.

decet, ad ferendam viriliter crucem domini tui, pro te præ amore in crucem ſublati. Paratus eſto ad toleranda multa aduerſa & varia incommoda in hac miſera vita: ſiquidem ſic tecum agetur, vbicunque deges, eritque tibi omnino hæc ferenda conditio, vbiubi latebis, nec vlla vsquam via eſt euadendi calamitatum dolorumque miſeriam, quin ea perpetienda eſt. *Tu domini calicem auide pota, (h) ſi eius amicus* & conſors *eſſe cupis*: quod ad *conſolationes* attinet, eas *Deo committe*, iis ipſe vtatur arbitrio ſuo, tu ferendis calamitatibus deditus eſto, easque pro maximis ſolatiis ducito. *(i)* Neque enim pares ſunt huius temporis calamitates futuræ gloriæ, qua ſumus aliquando afficiendi, *(k)* etiamſi ſolus tu omnes perferre poſſes.

X. *Poſtquam eo perueneris, vt tibi pro Chriſto aduerſa ferre dulce ſit & iu-*

(h) *Matth.* 20. *v.* 23. (i) *Iac.* 1. *v.* 2. (k) *Rom.* 8. *v.* 18.

iucundum, tunc tecum bene agi existimato, qui cæleſte regnum inueneris in terris. Rurſum quamdiu ferre gravaberis & fugitabis, tamdiu male tecum agetur, teque vbique vexabit fuga calamitatis. *Sin te* ad officium tuum, hoc eſt, *ad patiendum moriendumque applicabis, breui ſubleuaberis, & pacem inuenies.*

XI. Etiamſi vel in tertium cælum cum Paullo raptus fueris, non ideo exploratum habebis, nihil tibi aduerſi eſſe euenturum. *(l) Ego* (inquit Ieſus) *ei oſtendam, quantum ei ſit meo nomine patiendum.* Itaque vt patiare, neceſſe eſt, ſi Ieſum diligere, & ei perpetuo ſeruire placet.

XII. Atque vtinam dignus ſis, qui pro Ieſu nomine aliquid patiaris: quanta inde & tibi gloria, & ſanctis omnibus lætitia, & hominibus vtilitas exiſtet? Nam patientiam commendant omnes, licet pauci pati velint. Equidem

(l) 2. Cor. 12. v. 2.

dem magna cauſſa eſt, cur pro Chriſto paullulum pati velis, quum multo graviora patiare pro mundo, *(m)* atque illud *certo ſcito*, tibi moriendo viuendum eſſe, ac *quanto quisque ſibi magis moritur, tanto eundem Deo magis viuiſcere. (n)*

XIII. Nemo aptus eſt ad comprehendenda cæleſtia, niſi qui ſe ſubmiſerit ad aduerſa pro Chriſto ferenda. Denique nihil vel Deo acceptius, vel tibi ſalutarius in hac vita, quam libenter pati pro Chriſto: adeo, vt ſi tibi detur optio, malle debeas pro Chriſto aduerſa pati, quam multis conſolationibus recreari: *(o)* ita enim & Chriſto & omnibus eius cultoribus ſanctis ſimilior exiſtes. Neque enim in copia voluptatum & conſolationum ſitum eſt meritum noſtrum officiique profectus, ſed potius in grauibus malis calamitatibusque perferendis.

XIIII.

(m) 1. Cor. 9. v. 24. (n) Rom. 8. v. 10. (o) Gal. 6. v. 14.

XIIII. *Quod si quid* melius, aut homini *salutarius esset, quam aduersa pati, vtique Christus id & verbis & factis ostendisset.* Nunc & discipulos sectatores suos, & omnes sui sequendi cupidos manifesto ad crucem ferendam hortatur in hunc modum: *(p) Si quis post me venire vult, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & me sequatur.* Igitur omnibus perlectis & exploratis sit hæc orationis conclusio. *(q)* Per multas calamitates nobis in Dei regnum intrandum est.

LIBRI SECVNDI FINIS.

(p) *Luc.* 9. v. 23. (q) *Act.* 14. v. 22.

DE IMITANDO CHRISTO

LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

De interiore Christi colloquutione cum interiore anima fidelâ.

AVdiam, quid in me loquatur Dominus Deus. (r) Beata anima, quæ loquentem in se Dominum audit, & ex eius ore sermonem consolationis accipit. Beatæ aures, quæ diuini susurri sonitum accipiunt, & huius mundi susurrationes nihil aduertunt. Beatæ plane aures, quæ non foris sonantem vocem auscultant, sed loquentem interius docentemque veritatem. Beati oculi, qui exterioribus clausi, interioribus sunt intenti. Beati, qui ad interiora penetrant, & ad capienda

(r) *Ps. 85. v. 9.*



Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1857201116/phys_0179
DFG

da arcana cæleſtia magis magisq. quotidianis exercitationibus ſeſe ſtudent præparare. Beati, qui Deo vacare geſtiunt, & ab omni humano impedimendo ſe excutiunt.

II. Hæc animaduerte, o anima mea, & cupiditates exclude, vt quid in te loquatur Dominus Deus, audire queas. Hæc dicit amicus tuus: *Ego ſalus, ego pax, ego vita tua ſum; (s) mihi adhære, & pacem inuenies.* Omitte omnia mortalia, & quære æterna. *(ſ)* Quid enim ſunt omnia temporalia, niſi fallaciæ? aut quid conducunt omnia creata, ſi a creatore deſeraris? *(ſſ)* Quare omnibus abdicatis creatori tuo te redde acceptam ac fidelem, vt veram conſequi valeas beatitudinem.

(s) *Ioh.* 14. *v.* 6. (ſ) *Col.* 3. *v.* 1. (ſſ) *Luc.* 9. *v.* 25.

CAPVT II.

Veritatem intus loqui sine strepitu verborum.

LOquere, Domine: *audit enim servus tuus.* (t) Seruus tuus ego sum: da mihi intellectum, vt decreta tua discam. (u) Inclina animum meum ad verba oris tui, fluente roris instar oratione tua. Dicebant olim Israelitæ Mosi: Alloquere tu nos, & audiemus; non Dominus, ne moriamur. (v) Ego vero non sic, Domine, non sic oro: sed potius cum Samuele vate submisse cupideque sic obsecro: Loquere, Domine: audit enim seruus tuus: (x) neue me Moses aut reliquorum vatum aliquis alloquatur; sed tu me potius alloquere, Deus, inspirator & illuminator omnium vatum, qui me solus sine illis potes instruere: cum illi contra sine te nihil profecturi sint.

II.

(t) 1. *Sam.* 3. *v.* 10. (u) *Ps.* 119. *v.* 125. (v) *Exod.* 20. *v.* 19. (x) 1. *Sam.* 3. *v.* 10.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1857201116/phys_0182
DFG

II. Possunt illi quidem verba sonare: sed spiritum non conferunt. Pulcherrime dicunt illi quidem: sed te tacente animum non accendunt. Litteras illi tradunt, sed tu sententiam aperis. Arcana illi profantur: sed consignatorum intellectum tu reseras. Mandata illi eloquuntur; sed tu ad eadem exsequenda adiuuas. Illi viam ostendunt: tu ad eandem perambulandam das vires. Illi foris tantum rem agunt; tu animos instruis & illuminas. Illi extrinsecus irrigant; tu fœcunditatem das. Illi verbis clamant; tu audienti tribuis intelligentiam.

III. Quamobrem *non Moses me alloquatur, sed tu Domine*, mi Deus, æterna veritas, ne moriar & infructuosus efficiar: neue si duntaxat extrinsecus admonitus, ac non etiam intus accensus fuero, mihi ad pœnam conferat auditus sermo, non ad rem collatus: cognitus, non amatus: creditus, non seruatus. Igitur tu loquere, Do-

mine, audit enim seruus tuus, nam æternæ vitæ verba tu habes: (y) alloquere me, quod & animo meo consolationem, & toti vitæ correctionem afferat, & tibi gloriam honoremque pariat immortalem.

CAPVT III.

Dei verba submisse esse audienda, eaque a plerisque non ponderari.

AVdi, nate, verba mea, verba suavissima, & quæ vniuersæ philosophorum sapientumque huius mundi scientiæ antecellant. Verba mea spiritus & vita sunt, (z) nec humano sensu pensanda, nec ad inanem voluptatem trahenda, sed cum silentio audienda, cumque omni modestia atque auiditate accipienda.

SERV. Beatus est, quem tu erudis, Domine, & de lege tua doces, vt ei cala-

(y) *Ioh. 6. v. 68.* (z) *Ioh. 6. v. 63.*

lamitatis tempore opituleris, ne pessum eat. *(a)*

DOM. Ego & iam olim vates docui, & nunc etiamnum omnes alloqui non intermitto : sed multi ad vocem meam surdi sunt & duri. *(b)* Plerique mundum libentius audiunt, quam Deum, faciliusque carnis suæ adpetitui, quam Dei voluntati obsequuntur. Promittit mundus & temporalia & parua, & seruitur ei magna auiditate: *(c)* ego summa æternaque promitto : & torpent corda mortalium. Quis mihi tanta cura in omnibus seruit & obedit, quanta mundo mundiqueDominis servitur? Pudeat te, & si causſam quæris, audi : *Ob exiguum stipendium longa via a multis curritur : & ob æternam vitam vix a paucis pes semel attollitur.* Vile precium studiose quæritur : pro vno nummo interdum turpiter litigatur: & pro re inani paruaque promis-

 sione

(a) *Ps.* 94. *v.* 12. 13. (b) *Ies.* 42. *v.* 19. (c) *Matth.* 7. *v.* 13.

sione dies noctesque fatigari non dubitatur: at pro bono immutabili, pro præmio inæstimabili, pro summo honore, & gloria immortali, vel tantulum laborare piget.

II. Pudeat igitur te, serue piger & querule, quod illi ad interitum, quam tu ad vitam paratiores existunt; magisque vanitate, quam tu veritate gaudent. Et illi quidem spe sua nonnunquam frustrantur: at mea promissio neminem fallit, nec mihi confidentem re infecta dimittit. Ego quod verbis promitto atque pronuntio, idem reipsa præsto atque impleo, si quis modo ad finem vsque in amore mei perseueret. *(d)* Ego bonorum omnium remunerator, ego idem religiosorum omnium vehemens sum explorator.

III. *Inscribe verba mea cordi tuo*, eaque diligenter pertracta: erunt enim tentationis tempore valde necessaria.

Quæ

(d) *Matth.* 10. *v.* 22.

Quæ tu legens non intelligis, eadem curationis tempore cognoſces. Soleo autem electos meos duobus modis curare, videlicet *tentatione & conſolatione:* eosque duabus rationibus quotidie inſtituo; primum eorum vitia reprehendendo, deinde eos ad virtutum incrementa cohortando. Qui verba mea habet, eademque ſpernit, habet, a quo damnetur in nouiſſimo die. (*e*)

CAPVT IIII.

Precatio, qua diuina doctrina & religio imploratur.

DOmine, mi Deus, qui meum omne bonum es, quis ego ſum, vt te alloqui audeam? pauperrimus ego ſeruulus tuus, & abiectus vermiculus, multo & pauperior, & vilior, quam vel ſcio vel dicere audeo. Et tamen vel hoc ipſum memento, Domine, me nihil eſſe, nihil habere, nihil

(*e*) *Ioh.* 12. *v.* 47.

hil valere. Tu ſolus bonus, tu iuſtus, tu ſanctus, omnia tu potes, omnia præſtas, omnia imples, ſolos fontes relinquens inanes. Recordare miſericordiæ tuæ, Domine, & imple animum meum fauore tuo, qui opera tua vacua eſſe non vis. Nam qui poſſim in miſera hac vita conſiſtere, niſi me tua miſericordia fauorque confirmet?

II. Noli vultum tuum a me auertere: noli tuam mei curationem procraſtinare: noli conſolationem tuam abſtrahere, ne tibi fiat anima mea, qualis terra eſt humoris expers. Domine, doce me exſequi voluntatem tuam: doce me coram te digne ſubmiſſeque verſari. Nam tu mea ſapientia es, meque vere & cognoſcis & cognouiſti, antequam non ſolum ego in mundo natus ſum, verum etiam antequam mundus ipſe factus eſt. (f)

CAP.

(f) *Pſ.* 139. *v.* 3.

CAPVT V.

Veritatem modestiamque coram Deo colendam esse.

NAte, veritatem coram me colito, meque semper cum animi simplicitate quærito. Qui veritatem in meo conspectu colit, is a mali incursibus defendetur, eumque veritas a deceptoribus & improborum calumniis liberabit. Quod *si te veritas liberauerit, vere liber eris, nec hominum inania verba curabis.*

II. SERV. Est vt dicis, Domine, atque vt ita mecum agatur, quæso, videlicet, vt me tua veritas doceat, custodiat, & ad felicem exitum perducat. Eadem me ab omni praua cupidine, & intemperato amore liberet: ita fiet, vt magna animi libertate erga te vtar.

III. DOM. Et ego te, quid rectum, quidque mihi acceptum sit, docebo. (g) Recole cum magno animi dolore ac

(g) *Ps. 25. v. 9.*

ac mœrore peccata tua, neue tibi ob tua recte facta quidquam arroges. (b) Nam reuera nocens es, & multis animi morbis obnoxius atque implicitus, qui tuapte natura semper ad nihilum tendas, facileque labaris, facile vincaris, facile turberis & pessunderis. Denique *nihil habes, quo gloriari possis*: sed potius multa, ob quæ te parui facere debeas, quippe multo infirmior, quam vt id percipere queas. Quocirca fac, vt omnium operum tuorum nihil magnum tibi videatur, nihil grande, nihil precioſum & admirabile, nihil denique ſuſpiciendum cenſeas, nihil altum, nihil vere laudabile & adpetendum, niſi quod æternum eſt.

IIII. Tibi ſupra omnia placeat æterna veritas, diſpliceat tua ſumma vilitas, nihil ſic timeas, nihil ſic vituperes & fugias, vt vitia peccataque tua, quæ magis diſplicere debent, quam cuiusuis rei iactura.

V.

(b) 1. *Cor.* 4. *v.* 7.

V. *Quidam* se mihi non sinceros præbent: quin *quadam curiositate & arrogantia ducti*, *arcana mea* arduasque res *studiose rimantur*, se suamque salutem negligentes: *hi sæpe in graues tentationes* & peccata propter suam curiositatem & superbiam, me eis adversante, *labuntur*.

VI. At tu omnipotentis Dei sententiam iramque pauidus time, neue Supremi opera excute, sed vitia tua perscrutare, quantum vel mali feceris, vel boni neglexeris.

VII. Nonnulli suam omnem religionem solum in libris, alii in picturis, nonnulli in exterioribus signis figurisque circumferunt: alii in ore me gestant, in corde non item. *(i) Sunt* contra, *qui* mente perspicaces, & animo puri, ad æterna semper anhelant, de terrestribus inuiti audiunt, *naturæ necessitatibus dolenter inseruiunt: (k)*

(i) *Matth.7.v.21.* (k) *Phil.3.v.7.*

& hi quidem, *quid veritatis ſpiritus in ipſis loquatur, ſentiunt*, quippe qui eos, terreſtribus deſpectis, amare cæleſtia, mundoque contemto, cælum dies noctesque adpetere doceat. *(l)*

CAPVT VI.

Dei laudatio, & de eius beneficiis gratiarum actio: itemque de vi amoris Dei.

COllaudo te, pater cæleſtis, pater Domini mei Ieſu Chriſti, qui mei inopis dignatus fueris recordari. O miſericordiæ pater, omnisque conſolationis Deus, ago tibi gratias, qui me omni indignum conſolatione quandoque tua recreas conſolatione. *(m)* Te ego perpetuo collaudo atque concelebro, nec non vnigenitum filivm tuum, & confirmatorem ſpiritum ſanctum, in omnem ſeculorum perpetuitatem. *(n)*

II.

(*l*) *Col.* 3. *v.* 1. (*m*) 2. *Cor.* 1. *v.* 3. (*n*) 1. *Tim.* 1. *v.* 17.

II. Eia Domine Deus, mei amator sancte, vbi in animum meum veneris, toto pectore exultabo. Tu mea gloria, (o) meique cordis exultatio es: tu mea spes & perfugium tempore calamitoso. (p)

III. Sed quia adhuc amore debili & virtute sum imperfecta, necesse habeo, a te confirmari afficique consolatione: quocirca vise me sæpius, sanctaque instrue disciplina. Libera me a prauis animi perturbationibus, animumque meum ab omnibus effrenatis cupiditatibus & vitiis sana, vt intus sanatus, & probe purgatus, aptus efficiar ad amandum, fortis ad patiendum, constans ad perseuerandum.

IIII. Magna res est *amor*, magnum omnino bonum, quod solum & leue reddit quidquid oneri sum, & æqualiter fert, quidquid est inæquale. (q) Nam *onus sine onere portat, & amara*

(o) *Psal.* 3. *v.* 3. (p) *Ps.* 32. *v.* 9. (q) 1. *Cor.* 13. *v.* 4.

omnia in dulcia ſapidaque conuertit. Ille, inquam, Ieſu nobilis amor ad magna facienda impellit, excitatque ad adpetenda ſemper perfectiora. *Amor* vult eſſe ſurſum, nec vllis humilibus rebus retineri. *Amor* vult eſſe liber, & ab omni mundana affectione alienus, ne eius interior impediatur adſpectus, neue temporali aliquo vel commodo implicetur, vel incommodo ſuccumbat. *Amore* nihil dulcius, nihil fortius, nihil altius, nihil latius, nihil iucundius, nihil plenius, nihil vel in cælo vel in terra melius, quippe qui Deo ſit natus, nec niſi in Deo ſuper omnia creata poſſit requieſcere. *Amans* volat, currit, lætatur, liber eſt, neque tenetur: omnia dat pro omnibus, & habet in omnibus omnia, vtpote qui in vno ſummo ſupra omnia quieſcat, ex quo manat & oritur omne bonum. Non dona ſpectat, ſed ad donantem ſe conuertit ſupra omnia bona. *Amor* modum nullum nouit,

ſed

sed supra omnem modum feruet. *Amor* onus non sentit, labores nihili facit, supra vires conatur, vtrum fieri id possit, an secus, nihil pensi habens, quippe cum sibi nihil arduum, nihil illicitum arbitretur. Ergo valet ad omnia, multaque ad finem perducit, si non deficit & iacet amans. *Amor* vigilat, & dormiens non dormitat: laborans non lassatur, pressus non opprimitur, territus non perturbatur, sed quasi viuida flamma, ardensque facula sursum erumpit, tutoque penetrat.

V. Si quis amat, nouit, quid hæc vox clamet. Magnus clamor in auribus Dei est ipse ardens affectus animi, dum dicit: Mi Deus, mi amor, tu totus meus, ego totus sum tuus, gigne in me amorem copiosum, vt discam interiore cordis ore degustare, quam suaue sit amare, & in amore quasi liquefactum natare. Fac, vt ita amore flagrem, vt studii ardore meipsum superem. Cantem amoris canticum, in

sublime te sequar amicum meum, tuasque laudes tanto amore decantem, vt me deficiat animus. (r) Te plus quam meipsum amem: quin neque me, neque ceterorum quemquam, qui te vere amant, nisi & propter te, & in te amem, sicuti iubet lex amoris ex te relucens.

VI. *Est amor velox, sincerus, pius, iucundus & amœnus, fortis, patiens, fidelis, prudens, tolerans, virilis, & sibi nunquam studens.* Vbi enim sibi quis studet, ibi cadit amor. Est amor *circumspectus, modestus, rectus, non mollis, non leuis, nec vanis rebus addictus, sobrius, castus, constans, quietus,* & in cunctis sensibus *temperans.* Est amor *subiectus & obediens* maioribus, *sibi vilis &* despectus, *erga Deum religiosus & gratus, confidens semperque sperans;* etiam tum, cum a Deo fastiditur: quandoquidem sine dolore non viuitur in amore.

VII.

(r) *Ps.* 18. *v.* 1.

VII. Qui non est paratus omnia pati, seque amici voluntati accommodare, indignus est, qui amator appelletur. Denique *amantem oportet omnia dura & amara propter amicum amplecti, nec aduersis casibus ab eo auocari.*

CAPVT VII.

De veri amatoris exploratione, & quomodo sit hosti resistendum.

NAte, *nondum fortis es* & prudens *amator.*

SERV. Quare, Domine?

DOM. *Quia vel ob exiguum insultum cœpto desistis, & nimis auide consolationem quæris.* Fortis amator consistit in tentationibus, nec callidis credit suasionibus inimici: itaque rebus secundis delectatur, vt aduersis non offendatur. Prudens amator non tam amantis donum, quam donantis amo-

rem ſpectat. Idem animum potius, quam cenſum attendit, & amico omnia munera poſtponit. Non in dono, ſed in me ſupra omne donum adquieſcit nobilis amator.

II. Neque vero continuo deſpondendus eſt animus, ſi quando vel de mei cultoribus ſanctis minus bene ſentis, quam velles. Affectus ille bonus & dulcis, quo interdum permulceris, affectus eſt fauoris præſentis, & præguſtatio quædam patriæ cæleſtis, cui præguſtationi non nimis innitendum eſt, vt quæ viciſſitudinem habeat. Sed adverſus animi prauos motus certare, diabolique ſolicitationes ſpernere: hoc vero virtutis opus, magnaque mercede dignum eſt. Itaque non eſt, quod te vsque adeo vrant abſurdæ iſtæ imaginationes, ex quauis occaſione occurſare ſolitæ: perſeuera conſtanter in inſtituto, & erga Deum animo eſto ſincero. Neque vero illuſio eſt, quod aliquando in ſublime ſubito raperis, &

mox

mox ad animi solitas ineptias reuerteris: quas quidem, quoniam inuitus potius pateris, quam earum auctor es, quamdiu displicent & reniteris, vtiles potius sunt, quam perniciosæ.

III. *Scito antiquum illum hostem in id omnino incumbere, vt* tuum boni studium impediat, *teque ab omni religionis exercitatione auocet*, videlicet a pia supplicii Christi memoria, ab animi tui custodia, firmo proposito proficiendi in virtute. Multas malas cogitationes iniicit, vt tibi tædium horroremque incutiat, quo te a precibus sacrarumque litterarum lectione reuocet. Displicet ei submissa peccatorum confessio, & si posset, a communione te reuocaret. Ei tu ne credito, neue eum cures, licet tibi sæpius fallaces intendat laqueos.

IIII. *In ipsum* mala turpiaque ingerentem *retorqueto*, eique sic dicito: *Abi, immunde spiritus, erubesce, miser, impurissime tu, qui talia infers auribus*

meis, facesse a me, impostor pessime, nihil apud me efficies. Iesus enim mihi fortis bellator aderit, & tu fœde vinceris. Malo mori, & quiduis ferre, quam tibi assentiri. Tace & obmutesce, iam ego te non audiam, etiam si plura mihi facessas negotia. (s) *Dominus mea lux & salus est; ecquem metuam? Dominus meæ vitæ firmamentum est, ecquem formidem? Si contra me castra fiant, non metuam animo, Domino me adiuuante atque liberante.* Certa more boni militis: quod si quando ob infirmitatem cecideris, resumito vires prioribus fortiores, de meo erga te fauore etiam maiore bene sperans; & inanem arrogantiam superbiamque etiam atq. etiam caueto, quæ in caussa est, vt multi in errorem ducantur, & in cæcitatem pene incurabilem quandoque labantur. Afferat tibi cautionem perpetuamque modestiam ruina illa superbo-

(s) *Ps. 27. v. 1.*

borum, ſtulte ſibi nimis arrogantivm. (*t*)

CAPVT VIII.

De Dei beneficiis modeſte occultandis.

NAte, *vtile* tibi & tutum *eſt*, *collatum* tibi *diuinitus religionis ſtudium diſſimulare*, *nec id* inſolentius *iactando verbis efferre*, aut ſupra modum extollere, ſed potius teipſum deſpicere, & tanquam illis indignum collatis timere. (*u*)

II. *Non eſt ei affectioni tenacius inhærendum, quæ cito mutari poteſt in contrarium.* Cogita, dum tibi Dei adeſt gratia, quam miſer & inops eſſe ſoleas ſine gratia: nec in eo duntaxat ſitos eſſe progreſſus vitæ ſpiritualis, ſi diuinæ conſolationis beneficio frueris, ſed etiam ſi eiusdem ſubtractionem modeſte,

(*t*) *Luc.* 1. *v.* 51. 52. 1. *Pet.* 5. *v.* 5.
(*u*) *Rom.* 11. *v.* 15. 1. *Cor.* 4. *v.* 7.

ſte, temperanter patienterque feras, ita, vt tunc in precum ſtudio non torpeſcas, nec reliqua opera tua conſueta omnino dilabi permittas, quin quam optime poteris & ſcies, libenter, quod in te erit, facias, *nec propter illam, quam ſentis mentis ariditatem, aut anxietatem officium prorſus negligas.*

III. Multi enim, ſi quando eis non bene ſucceſſit, protinus impatientes fiunt, aut deſides. (x) *Non ſemper eſt arbitrii hominis, ſuis rebus moderari:* (y) ſed Dei eſt & dare & conſolari, & quando vult, & quantum vult, & cui vult, idque vt ipſi demum libet. (z)

IIII. Nonnulli ſeipſos ob collatum in ſe religionis ſtudium incerti perdiderunt, dum ſupra vires conando parvitatem ſuam non perpendunt, ſed magis animi affectum, quam rationis iudicium ſequuntur. Hi, quia maiora, quam Deo placitum fuit, ſuſceperunt, diui-

(x) *Luc.* 8. *v.* 13. (y) *Ier.* 10. *v.* 23. (z) 2. *Cor.* 1. *v.* 4.

diuinum fauorem cito amiserunt: & qui sibi in cælo nidum posuerant, iidem inopes, viles, derelicti euaserunt, (*a*) vt depressi ac depauperati non alis suis volare, sed pennis meis niti discerent.

V. Qui adhuc tyrones sunt, & viæ Domini imperiti, ii nisi prudentiorum consilio obtemperent, facilius decipi pessundarique possunt: iidemque si opinioni suæ potius obsequuti sunt, quam exercitatis obtemperarunt, in maiore versantur periculo, qui a concepta semel opinione retrahi noluerint.

VI. *Raro fit, vt qui sibi sapere videtur, is alterius imperium modeste ferat.* Itaque præstat, parum sapere cum modestia, exiguaque rerum perspicientia, quam abundante scientia sibi nimium placere, (*b*) præstat minus habere, quam multum habentem superbire.

VII. *Non satis circumspecte agit, qui se totum lætitiæ tradit*, oblitus pristinæ

(*a*) *Luc.* 1. *v.* 51. (*b*) 1. *Cor.* 8. *v.* 1.

ſuæ inopiæ, caſtique timoris Domini, qui, ne collata ſibi beneficia amittat, metuere ſolet. (c)

VIII. *Ne ille* quidem *ſatis cum virtute ſapit, qui aduerſo* difficilique *tempore nimium deſperanter ſe gerit*, & de me minus fidenter, quam debet, cogitat atque ſentit. Qui pacis tempore nimis ſecurum ſe præbet, is belli tempore ſæpe nimis deiectus & formidoloſus exiſtit. Si ſemper modeſtum te animique demiſſi præſtare, ſpiritusque tuos bene moderari ac regere ſcires, haud tam facile in periculum & offenſam incideres.

VIIII. Conſultum eſt ardoris ſpiritu concepto cogitare, quid futurum ſit, ſi lux diſceſſerit: rurſumque, vbi id contigerit, eandem reuerti poſſe cogitare, a me ideo ſubtractam, vt & tu cautior, & ego reddar glorioſior. Eſt enim ſæpe talis exploratio conducibilior, quam ſi rebus ſecundis pepetuo fru-

(c) *Rom.* 11. *v.* 18.

fruereris arbitratu tuo. Neque enim in eo sita sunt virtutis opera, si diuinis visis & consolationibus abundes, aut litterarum sis peritus, aut in sublimi gradu colloceris: sed si vera modestia nitaris; si diuina caritate sis plenus; si Dei gloriæ caste & sincere perpetuo studeas; si teipsum nihili facias, vereque despicias, neque non ab aliis quoque despici deprimique magis, quam honorari gaudeas.

CAPVT VIIII.

De seipso in Dei oculis parui faciendo.

DOminum meum alloqui audeo, ipse puluis & cinis: (*d*) qui *si me pluris fecero, tu mihi contra stas*, & dicunt contra me verum testimonium mea crimina, cui non possum contradicere. *Sin* meipsum vilipendens in nihilum redegero, *abiectaque omni de*

(*d*) *Gen.* 18. *v.* 27.

de me existimatione, meipsum pro pulvere, vt sum, *habuero, erit mihi propitia gratia tua*, (*e*) & vicina cordi meo tua lux: atque ita fiet, vt si me vel tantuli feci, etiam illud ipsum tantulum, me prorsus in nihilum depresso, euanescat in perpetuum. Hic tu me mihi ostendes, quid sim, quid fuerim, & vnde venerim, nihil videlicet & de nihilo. Qui, *si mihimetipsi relinquor, continuo nihil sum, nisi mera infirmitas.* (*f*) *Sin tu me subito respexisti, statim fortis efficior*, nouaque repleor lætitia: & admodum mirum est, me sic repente sublevari, te tam benigne complectente, (*g*) qui meopte pondere semper ad ima feror.

II. Facit hoc amor tuus me gratis præueniens, & in tot necessitatibus subueniens, meque a grauibus periculis tutans, & ex innumeris (vt vere dicam) malis eripiens. (*h*) Nam & *me-*

(*e*) *Luc.* 18. *v.* 13. (*f*) *Ps.* 39. *v.* 9. (*g*) *Sap.* 9. *v.* 15. (*h*) *Ps.* 59. *v.* 18.

meipſum male amando perdidi : & te ſolum quærendo ſincereque amando tum meipſum, tum te inueni, eoque amore meipſum etiam magis in nihilum demerſi. Nam tu, o mihi dulciſſime, plura in me confers non ſolum, quam promereri queam, verum etiam quam ſperare, ne dicam rogare audeam.

III. Ago tibi gratias, mi Deus, quod licet ego ſim omni indignus bono, tua tamen nobilitas & immenſa bonitas etiam ingratis & a te longe auerſis benefacere nunquam intermittit. (*i*) Converte nos ad te, vt ſimus grati, ſubmiſſi, religioſi, tu, qui noſtra ſalus, & virtus, & fortitudo es. (*k*)

CAPVT X.

Omnia ad Deum, ceu ad finem vltimum, eſſe referenda.

NAte, ſupremus tibi vltimusque finis ego ſim oportet, ſi beatus eſſe cu-

(*i*) *Matth.* 5. *v.* 45. (*k*) *Pſ.* 18. *v.* 1.

cupis. Hac intentione expiabitur ingenium tuum, sæpius ad seipsum, & ad res creatas male propensum. (*l*) Nam *simulatque in re quapiam tibi ipsi studes, in teipso deficis & arescis.* Itaque omnia ad me vnum referas oportet, quippe qui omnia dederim & singula ex me summo bono manare scias, ideoque ad me, ceu originem suam, esse reuocanda.

II. Ex me paruus, æque ac magnus, pauper, æque ac diues, tanquam ex viuo fonte viuam aquam hauriunt: (*m*) & qui mihi sponte & liberaliter seruiunt, ii beneficiis aliis super alia cumulabuntur. Sed extra me si quis gloriari, aut aliquo priuato bono delectari voluerit, is perpetuo veroque gaudio, animique lætitia non potietur, sed in varia incommoda & angores incurret. (*n*)

III. Itaque nihil boni, nihil virtutis vel

(*l*) *Gen.* 8. *v.* 21. (*m*) *Psal.* 36. *v.* 9. (*n*) *Ier.* 9. 22.

vel tibi, vel omnino vlli mortalium adscribere debes, sed omnia Deo, (o) sine quo nihil habet homo, accepta ferre. Ego omnia dedi, ego idem omnia mihi meo iure vendico, magnaque cum severitate gratiarum actionem exigo. Hæc veritas est, qua fugatur humanæ gloriæ vanitas.

IIII. Quod *si quis* cælesti fauore *veraque caritate præditus erit, hunc nec inuidia, nec animi dejectio, nec amor sui occupabit. Vincit* enim *omnia*, animique vires omnes explicat *diuina caritas*. Quod si recte sapis, in me solo gaudebis, in me solo sperabis, quemadmodum vnus Deus bonus est, (p) super omnia laudandus, & in omnibus celebrandus. (q)

CAP.

(o) 1. *Cor.* 1. *v.* 29. (p) *Matth.* 19. *v.* 17. (q) 1. *Tim.* 6. *v.* 16.

CAPVT XI.

Dulce esse, contemto mundo, seruire Deo.

NVnc iterum loquar, Domine, neque silebo, inque mei & Dei & Domini & regis sublime cælum incolentis auribus in hunc modum fabor: *O quanta est*, Domine, *voluptas illa, quam tui reuerentibus repositam habes?* nedum *amantibus*, nedum *toto animo tibi seruientibus.* Vere ineffabilis est tui contemplandi dulcedo, quam largiris *amatoribus tuis.* (r)

II. Atque in eo maxime caritatis tuæ dulcedinem exseruisti, quod cum non essem, tu me fecisti, & postea longe a te errantem in viam reduxisti, vt tibi seruirem, vtque te amem, præcepisti.

III. O fons amoris perpetui, quid de te dicam, aut tui obliuisci qui possim? qui mei recordari dignatus fueris.

(r) *Ies.* 64. *v.* 4.

ris. Qui erga tuum me, postquam iam contabueram atque perieram, contra spem omnem misericordia vsus fueris, & nihil promeritum, fauore amicitiaque demerueris, pro qua quidem beneficentia quam tibi gratiam referam? *Seruiam* videlicet tibi. (s) Sed quid magnum est, ei servire, cui omnis rerum natura seruire debet? (t) Illud potius magnum mihi & admirandum videtur, quod tam inopem, tam indignum in seruitutem admittere, & in dilectorum tibi seruorum numerum cooptare dignaris. (u)

IIII. En tua sunt omnia, quæcunque habeo, & quibus tibi seruio. (x) Sed quid? quod *magis tu mihi seruis, quam ego tibi.* En cælum ipsum & terra, a te ad hominis vsus condita, præsto sunt, & quotidie, quidquid a te mandatum est, exsequuntur. Quin etiam angelos ad hominis vsus creasti atque

(s) *Ps.* 116. *v.* 8. (t) 1. *Cor.* 14. *v.* 27. (u) *Ps.* 113. *v.* 5. (x) 1. *Cor.* 4. *v.* 7.

atque ordinasti. (y) Sed omnium longe maximum est, quod tu ipse servire homini dignatus es, (z) & teipsum ei daturum promisisti. (a)

V. Pro quibus innumeris beneficiis quamnam tibi gratiam referam? Vtinam tibi per omnem vitam seruire possim! vtinam is sim, qui vel vnius diei dignum seruitium exhibeam! Vere tu omni seruitio, omni honore & æterna laude dignus es. (b) Vere tu Dominus meus, & ego tenuis seruus tuus sum, qui tibi totis viribus seruire, laudibusque tuis nunquam satiari debeo. Et quidem sic volo, sic cupio, & quidquid mihi deest, tu supplere dignare.

VI. Magnus honor, *magna gloria, tibi seruire*, (c) *& omnia propter te contemnere.* Magnam enim mercedem reportabunt, qui se sanctissimæ isti

(y) *Psal.* 34. *v.* 7. (z) *Matth.* 20. *v.* 28. (a) *Rom.* 8. *v.* 32. (b) 1. *Tim.* 1. *v.* 17. (c) *Ioh.* 12. *v.* 26.

isti seruituti sponte subiecerint, inueni-entque suauissimam sancti spiritus consolationem, qui amore tui humanas abiecerint voluptates. Magnam animi libertatem consequentur, qui arctam pro nomine tuo ingressi viam, mundanas curas omnes contemserint. (*d*)

VII. *O gratam* iucundamque *Dei seruitutem, qua homo vere liber & sanctus efficitur!* (*e*) O sacrum statum religiosi famulatus, qui hominem angelis reddit æqualem, Deo acceptum, dæmonibus terribilem, cunctisque fidelibus commendatum! O amplectendum & semper optandum seruitium, quo & summum bonum paratur, & gaudium quæritur sine fine mansurum! (*f*)

CAP.

(*d*) *Matth.* 7. *v.* 14. (*e*) *Luc.* 1. *v.* 74. *Rom.* 8. *v.* 21. (*f*) *Ioh.* 12. *v.* 26.

CAPVT XII.

Animi cupiditates examinandas esse & moderandas.

NAte, multa tibi addiscenda restant.

SERV. Quænam, Domine?

DOM. Vt cupiditatem tuam arbitrio meo plane subiicias, & non iam tui amator, sed meæ voluntatis exequendæ sis cupidus. Sæpe te cupidines accendunt, & vehementer impellunt: hic tu considerato, vtrum honore meo, an commodo tuo magis moueare. Nam si mea causa cupis, boni consules, quidquid ego statuero: sin priuati quæstus aliqua cupido latet, idipsum est, quod te impedit & grauat. (g)

II. *Caue* ergo, *ne conceptæ, inconsulto me, cupiditati nimium innitaris*, ne forte postea pœniteat, ac quod primo placuerit, quodque ceu optimum affectaueris, idem deinde displiceat. Nam nec

(g) *Luc.* 9. *v.* 57.

nec omnis affectio, quæ bona videtur, statim est sequenda, nec contraria primo adspectu fugienda. *Expedit interdum etiam bonis studiis & cupiditatibus frenos adhibere*, ne vel animi importunitate modum transeas, vel aliis intemperantia tua offensioni sis, vel iisdem resistentibus subito turbatus labaris.

III. Nonnunquam violentia vti convenit, & adpetitui repugnare, neque quid velit, quidue nolit caro, rationem habere, quin potius operam dare, vt vel inuita spiritui obtemperet, & tamdiu coerceatur, seruitutemque ferat, donec parata sit ad omnia, paucisque contenta esse, & tenui conditione delectari, nec aduersus vllum incommodum obmurmurare condiscat.

CAPVT XIII.

De ratione patientiæ, & certamine adversus cupiditates.

ERgo quantum audio, mi Domine Deus, est mihi perquam necessaria patientia; (*h*) multa enim in hac vita accidunt aduersa; vt, *licet pacem omni ratione adpetam, fieri tamen nequeat, vt sine bello & dolore vitam degam.* (*i*)

II. DOM. Ita est, nate. Nolo autem te eam pacem quærere, quæ tentationibus careat, aut aduersa non sentiat: sed tunc quoque pacem a te inuentam existimare, cum variis multisque miseriarum rerumque aduersarum calamitatibus exagitantibus explorabere. (*k*) Quod si te multa pati posse negabis, æternum ignis cruciatum ferre qui poteris? De duobus malis semper minus est eligendum. Vt

(*h*) *Luc.* 21. *v.* 19. (*i*) *Iob.* 7. *v.* 1. (*k*) *Iac.* 1. *v.* 3.

Vt ergo æterna illa futura ſupplicia euadas, mala præſentia pro Deo æquo animo ferre ſtudeto. An putas ſeculi huius homines aut nihil malorum, aut parum pati? *ne delicatiſſimos quidem a malis immunes eſſe comperies.*

III. Dices: Sed fruuntur multis voluptatibus, ſuæque voluntati obſequuntur, ideoque miſerias ſuas parui pendunt. Finge, eis omnia ex animi ſententia ſuccedere, quamdiu id duraturum eſt? (*l*) Nimirum fumi ritu peribunt, qui in hac vita copioſi ſunt, ita vt præteritorum gaudiorum nulla ſuperſit recordatio. (*m*) Quin & adhuc ſuperſtites non ſine acerbitate & moleſtia ac timore illis fruuntur. Etenim *quibus ex rebus voluptatem capiunt, ex iisdem dolorem non raro concipiunt*; & merito, vt, qui intemperanter voluptates conſectantur, iidem non ſine acerbitate & perturbatione

(*l*) *Luc.* 12. *v.* 20. (*m*) *Pſ.* 37. *v.* 2.

eas percipiant. (n) Sunt illæ sane perbreues omnes, & falsæ, & intemperantes, & turpes : sed hoc illi præ ebrietate & cœcitate non vident : quin brutorum animalium ritu ob exiguam vitæ mortalis delectationem, animæ mortem sibi conciliant. (o)

IIII. Quocirca tu, nate, cupiditates tuas sequi noli, (p) sed voluntatem tuam auersare. *Delectare Domino, & animi tui postulata tibi concedet.* (q) Etenim si vere delectari, largamque consolationem a me vis percipere, *scito*, tibi in rerum omnium mundanarum contemtu, infirmarumque istarum voluptatum abiectione sitam esse felicitatem, amplumque præmium consolationis : *quantoque tu te magis ab omni humanarum rerum solatio subtraxeris, tanto suauiores maioresque consolationes in me inventurum esse.* (r)

V. Sed

(n) *Prou.* 14. *v.* 12. (o) *Psl.* 49. *v.* 13. (p) *Sir.* 18. *v.* 30. (q) *Psl.* 37. *v.* 4. (r) *Psl.* 94. *v.* 19.

V. Sed ad eas non sine tristitia & labore certaminis peruenies. Obstat enim inolita consuetudo: sed ea meliori consuetudine vincetur. Obmurmurabit caro: sed ea spiritus ardore frenabitur. (s) Instigabit te & exacerbabit serpens antiquus: sed precibus fugabitur, (t) & insuper vtili labore magnus ei aditus obstruetur.

CAPVT XIIII.

De obediendo maioribus exemplo Iesu Christi.

NAte, *qui se obedientiæ subducit, is se diuino fauori subducit*: & qui priuata quærit, amittit communia. Qui non libenter & sponte superiori se subdit, hoc ipso indicat, suam se carnem nondum prorsus habere dicto audientem, sed eam sæpe recalcitrare & obmurmurare.

(s) *Rom.* 8, *v.* 13. *Gal.* 5. *v.* 15. (t) *Iac.* 4. *v.* 7.

II. Quocirca *disce celeriter superiori te submittere, si carnem tuam domare cupis.* Citius namque vincitur exterior inimicus, si interior homo est illabefactatus. Nullus animæ molestior aut peior hostis est, (*u*) quam tute tibi, non concordans cum spiritu. Oportet enim te verum adhibere contemtum tui, si vis carne & sanguine superior euadere: quandoquidem adhuc intemperantius amas, ideoque te totum alienæ voluntati committere horres.

III. Sed quid magnum, tu puluis & nihil, præstas, si propter Deum te subdis homini? cum ego ille omnipotens & supremus, qui ex nihilo omnia creaui, homini me tua caussa submisse subiecerim, (*x*) factus omnium humillimus & infimus, vt tu superbiam istam humilitate mea vinceres. Disce obtemperare, puluis: disce te deprimere, terra & lime, omniumque pedi-

(*u*) *Gal.* 5. *v.* 17. (*x*) *Phil.* 2. *v.* 6.

pedibus subiicere: disce voluntatem tuam frangere, & omnibus subiectum te præbere. *Exardesce contra teipsum, neue patere fastum in te viuere,* sed ita subiectum paruumque te præbe, vt te peruadere, & luti vicorum ritu conculcare possint omnes.

IIII. Quid habes, inanis homo, quod conqueraris? quid est, o impure, quod vituperantibus contradicas, cum toties offenso Deo, toties stygias pœnas meritus sis? Sed ego tibi benignus peperci, animam tuam habens in pretio, vt tu cognito meo erga te amore, gratum te de beneficiis meis semper præberes, veræque obedientiæ & modestiæ semper addictus, tui contemtum patienter ferres.

CAPVT XV.

De occultis Dei iudiciis considerandis, ne bonis expellamur.

TV tuis iudiciis in me tonans, Domine, omnia membra mea timore

more concutis ac tremore, animumque meum supra modum perterres. Attonitus ego illud considero, cælos ipsos in tuo conspectu non esse mundos. (*y*) Quod si in angelis ipsis vitium deprehendisti, (*z*) nec eis pepercisti, quid me futurum est? si stellæ ipsæ de cælo cecidere, ego pulvis quid sperem? Quorum opera videbantur laudabilia, ii ad ima deciderunt: & qui angelorum pane vescebantur, eos vidi porcorum siliquis delectari.

II. *Nulla est ergo sanctitas, si tu manum tuam*, Domine, *retrahas: nulla prodest sapientia, si tu gubernare desistas: nulla iuuat fortitudo, si tu conseruare desinus: nulla tuta est castitas, nisi tu eam tueare: nulla prodest sui custodia, nisi tua adsit sacra vigilantia.*

III. Nam relicti mergimur & perimus: iidem te curante erecti viuimus: incon-

(*y*) *Iob.* 15. *v.* 15. (*z*) *Iob.* 4. *v.* 18.

inconstantes nos quidem, sed qui a te confirmemur: tepidi, sed qui a te accendamur.

IIII. Enimuero mihi de meipso humillime & abiectissime sentiendum est, planeque nihili pendendum, si quid boni videor habere. (a) Debeo, inquam, meipsum tuis illis inexhaustis iudiciis submississime subiugare, vbi me nihil de nihilo esse comperio. O pondus immensum! o pelagus intranabile, vbi me nihil nisi totum nihili esse comperio! Vbinam est igitur latebra gloriæ? vbi partæ gloriæ confidentia? Absorpta est omnis vana gloria in tuorum de me iudiciorum gurgite.

V. Quid sunt mortales omnes in tuo conspectu? scilicet glorietur lutum aduersus figulum. (b) Potestne vanis laudibus insolescere, cuius animus in veritate Deo subiectus est? non si vniuersus eum mundus extollat, postquam

(a) 1. Cor. 4. v. 7. (b) Iesa. 29. v. 16.

quam eum sibi subiecit veritas: *nullo*, inquam, *laudantium ore mouebitur, qui spem suam omnem fixit in Deo.* Nam & illi ipsi, qui loquuntur, omnes nihil sunt, & cum verborum suorum sonitu defecturi sunt. At Domini veritas æterna manet.

CAPVT XVI.

Quo animo esse, & quid dicere oporteat in rebus expetendis.

NAte, omnibus in rebus sic tibi dicendum est: Domine, si tibi placitum fuerit, (c) hoc ita fiat. Domine, si hoc tibi honori futurum est, fiat in tuo nomine. Domine, si hoc mihi expedire & vtile fore vides, effice, vt eo vtar ad honorem tuum: sin mihi non salutare, sed noxium fore nosti, aufer a me cupiditatem hanc. Neque enim a spiritu sancto est omnis cupiditas, etiam si homini recta bonaque esse videatur: *estque difficile certo iudicare, bonusne, an*

(c) *Iac. 4. v. 15.*

an diuersus spiritus impellat ad hoc aut illud auendum: an potius tuo ipsius spiritu moueare. Multi ad extremum decepti sunt, qui primo spiritu bono videbantur instigati.

II. Itaque *semper cum Dei metu animique submissione cupiendum est, quidquid animo optandum occurrit:* cumque mera obiurgatione sui tota res committenda Deo, atque ita dicendum: Domine, vtrum magis expediat, tute scis: vtrum ipse voles, facito. *(d)* Da quod vis, & quantum vis, & quando vis. Age mecum, vt agendum nosti, vtque tibi placet, & quod tibi maximam gloriam pariat. Ibi me colloca, vbi voles, & mecum omnibus in rebus libere agito. In manu tua ego sum: verte versaque me in omnem partem. Ecce me seruum tuvm ad omnia paratum: quandoquidem *(e)* non mihi, sed tibi (atque vtinam

(d) *Matth.* 8. *v.* 2. *Marc.* 14. *v.* 36. (e) *Rom.* 14. *v.* 7.

nam digne & perfecte) viuere cupio.

CAPVT XVII.

Preces ob Dei voluntatem exsequendam.

COncede mihi, benigniſſime Ieſu, fauorem tuum, qui mihi adſit, mecum laboret, mecum ad finem vſque perſeueret. Da mihi ſemper velle & cupere, quæ tibi accepta caraque ſint. Tua voluntas mea ſit, meaque tuam ſemper ſequatur, & cum ea optime concordet. Sit mihi idem velle & nolle tecum, *(f)* ita vt nihil, niſi quod tu velis aut nolis, ego velle aut nolle queam. Da mihi, vt omnibus, quæcunque ſunt in mundo, moriar, ac propter te in hoc ſeculo contemni amem & neſciri. Da mihi ſuper omnia optata in te adquieſcere, animumque pacatum habere; tu vera pax cordis, tu ſola requies : extra te omnia

(f) Matth. 6. v. 9.

omnia dura sunt & inquieta. In hac pace, hoc est, in vno te summo æternoque bono dormiam & requiescam.

CAPVT XVIII.

Verum solatium in solo Deo esse quærendum.

QVidquid solatii optare, aut cogitare possum, id non hic, sed in futurum exspecto. *(g)* Quod si vel omnia, quæ vsquam sunt, solatia solus haberem, omnibusque deliciis frui possem, certum est, eas diu durare non posse. *(h)* Itaque plenam consolationem consequi, perfecteque recreari, non nisi in Deo potes, o anima mea, inopum consolatore, modestorumque opitulatore. Exspecta paulisper, anima mea, exspecta diuinum pro-

L

(g) *Rom.* 8. *v.* 24. *Hebr.* 13. *v.* 14. (*h*) 1. *Cor.* 7. *v.* 31. 1. *Ioh.* 2. *v.* 17.

promissum, & consequeris in cælo copiam omnium bonorum.

II. Quod si præsentia ista intemperantius adpetes, æterna cælestiaque perdes. *(i) Sint tibi temporalia in vsu, æterna in cupiditate. (k)* Nullo tu temporali bono satiari potes, quippe ad quod fruendum non sis creata. Etiamsi omnia bona creata haberes, non tamen beata fores: quin in omnivm creatore Deo sita est tua felicitas: *(l)* non illa quidem, qualis stultis mundi amatoribus videtur & laudatur: sed qualem exspectant boni fidentesque Christi discipuli, qualemque prægustant interdum spirituales, & mundi cordis homines, (*m*) quorum obseruatio in cælo est. (*n*)

III. *Vanum & breue est omne humanum solatium:* beatum & verum, quod intus a veritate percipitur. Religio-

(*i*) 1. *Ioh.* 2. *v.* 17. (*k*) 1. *Cor.* 7. *v.* 31. *Col.* 3. *v.* 1. (*l*) *Ps.* 36. *v.* 8. (*m*) *Matth.* 5. *v.* 8. (*n*) *Phil.* 3. *v.* 22.

ligiosus homo vbique circumfert consolatorem suum Iesum, eumque sic alloquitur: Adesto mihi, Domine Iesu, omni & loco & tempore. Hæc *mihi sit consolatio, omni humano solatio libenter carere.* Aut si quando aberit tua consolatio, sit mihi tua voluntas, iustaque exploratio pro summo solatio. Neque enim tu is es, (*o*) qui perpetuo irascaris, aut terrefacias.

CAPVT XVIIII.

Omnem solicitudinem esse Deo committendam.

NAte, sine me tecum agere, quod volo: scio ego, quid e re tua sit. (*p*) Tu cogitas, vt homo, & in multis sic sentis, vt tibi humana mens suadet.

SERV. Domine, vera dicis: maiorem tu mei curam geris, quam ego ipse

(*o*) *Ps.* 103. *v.* 9. (*p*) 1. *Pet.* 5. *v.* 7.

ipse possem: (q) nam caduce sane stat, qui non omnem suam solicitudinem tibi committit. Domine, dummodo recta firmaque permaneat erga te mea voluntas, *vtere me arbitrio* tuo. (r) *Nam non nisi bonum esse potest, quidquid de me statueris.* Igitur siue me in tenebris esse vis, laudo: siue me in luce, id quoque laudo. Siue me dignaris consolari, laudo: siue rebus aduersis vis premi, hoc quoque laudo.

III. DOM. Nate, sic te animatum esse oportet, si mecum cupis habere negotium: nec minus ad patiendum quam ad gaudendum alacris, & libentius inops & pauper, quam plenus & diues, esse debes. (s)

IIII. SERV. Domine, libenter pro te patiar, quidquid tu mihi euenire volueris: voloque de manu tua bonum iuxta ac malum, dulce ac amarum,

(q) *Ps.* 55. *v.* 33. (r) *Matth.* 8. *v.* 2. (s) *Matth.* 19. *v.* 21. *Luc.* 9. *v.* 23.

rum, lætum ac triſte accipere, & pro omnibus, quæ mihi acciderint, gratias agere. (*t*) Tuere me ab omni peccato, & nec mortem nec orcum timebo; ac modo tu me in perpetuum non repudies, aut de libro vitæ deleas, nulla mihi calamitas nocebit.

CAPVT XX.

Huius vitæ miſerias Chriſti exemplo ferendas eſſe æquo animo.

NAte, ego ob ſalutem tuam de cælo deſcendi, tuasque miſerias non neceſſitate, ſed caritate trahente ſuſcepi, quo tu patientiam diſceres, & temporales miſerias non indignanter ferres. (*u*) Nam a qua hora natus ſum, donec in cruce vitam finii, nunquam defuere, quos ferrem, dolores: rerum neceſſariarum ma-

(*t*) *Phil.* 4. *v.* 6. *Col.* 3. *v.* 17. (*u*) 1. *Pet.* 2. *v.* 21.

gnam penuriam tuli, multas de me querimonias frequenter audiui, ignominias & probra comiter tuli, pro beneficiis ingratitudinem reportaui, pro miraculis maledicta, pro doctrina reprehensiones.

II. SERV. Domine, quandoquidem tu te in vita patientem præbuisti, (in quo quidem maxime patris tui præceptum exsequutus es) (x) æquum est, vt miser ego & nocens secundum voluntatem tuam patientem me præbeam, ac quamdiu ipse voles, vitæ mortalis onus pro salute mea portem. Nam etsi *onerosa* sentitur *vita præsens*; tamen *tuo* iam *beneficio facta est leuior*, (y) & tum *tuo exemplo*, tum sanctorum tuorum vestigiis, *tolerabilior*, infirmis & clarior: quin & multo magis consolatoria, quam fuit olim in lege veteri, quum & cæli porta clausa manebat, & obscurior via videbatur, & tam

(x) *Phil.* 2. *v.* 5. (y) *Matth.* 11. *v.* 30. *Phil.* 4. *v.* 13.

& tam pauci regnum cæleſte quærere curabant: quin etiam, qui tunc iuſti ſeruandique erant, ii ante ſupplicium tuum, ſacræque mortis meritum, in cæleſte regnum intrare non poterant.

III. Quantam ego tibi gratiam debeo, quod tum mihi, tum cunctis fidentibus rectam bonamque ad æternum regnum tuum viam dignatus es oſtendere? (z) Nam via tua, via noſtra eſt, & per ſanctam patientiam ad te, coronam noſtram, contendimus, qui niſi nos anteceſſiſſes atque docuiſſes, (a) quis ſequi curaret? quam multi non ſolum pone, ſed etiam procul manerent, niſi tua iſta præclara exempla inſpicerent? En etiam tuis tot ſignis & præceptis auditis, tamen tepidi ſumus; quid fieret, ſi tantum lumen ad te ſequendum non haberemus?

(z) *Ioh.* 14. *v.* 6. (a) *Hebr.* 6. *v.* 20.

CAPVT XXI.

De iniuriarum tolerantia, & quemnam vere patientem esse constet.

QVidnam istud est, quod loqueris, fili? desine conqueri: considera tum meum, tum ceterorum sanctorum supplicium: nondum ad sanguinem vsque restitisti. (*b*) Parum est, quod tu pateris, si cum illis conferaris, qui tam multa passi sunt, tam vehementer tentati, tam grauiter afflicti, tot modis explorati & exercitati. (*c*) Itaque tibi in memoriam reuocandi sunt aliorum casus grauiores, vt leuius feras tuos tantulos: aut, si tibi tantuli non videntur, vide, ne & hoc tua faciat impatientia: atque omnino siue parui sunt, siue magni, da operam, vt omnes patienter feras. (*d*)

II. Nam *quanto tu te melius ad patiendum composueris, tanto & sapientius*

(*b*) *Hebr.* 12. *v.* 4. (*c*) *Hebr.* 11. *v.* 35. (*d*) 2. *Cor.* 6. *v.* 4. *Iac.* 1. *v.* 2.

tius egeris, & maiora mereberis, & facilius feres, animo & vsu ad hoc non segniter paratus. (*e*)

III. Neque vero ita dixeris: Hoc ego ab illo homine pati nec possum, nec debeo: nam & graue damnum intulit, & quæ nunquam cogitaui, de aliis me criminatur: ab alio quidem libenter feram, quæ ferenda videro. Insipientiæ est ista cogitatio, neque patientiæ virtutem considerat, nec a quo coronanda sit, sed magis personas & illatas sibi iniurias perpendit.

IIII. *Non vere patiens est, qui non, nisi quantum & a quo libeat, vult pati.* At *vere patiens homo* nihil pensi habet, a quonam homine, maiorene, an æquali, an inferiori; bonone & sancto, an peruerso & improbo exerceatur: quin *quidquid ei ab vllo mortalium aduersi infertur*, quantum & quotiescunque id fit, *id grato animo, ceu de Dei manu accipit, & in lucro ponit*: quia

(*e*) *Rom. 5. v. 3. 4. Iac. 1. v. 4.*

nihil tantum tantulumue est, si id pro Deo patiare, quin mercedem mereatur. *(f)*

V. Quapropter esto ad pugnam accinctus, *(g)* si vis potiri victoria. *Sine certamine* quidem *patientiæ coronam nunquam obtinebis. (h)* Quod si pati non vis, coronari recusas: sin coronari cupis, viriliter certato, pugnamque patienter sustineto. Nam nec sine labore requies, nec sine pugna paratur victoria.

VI. SERV. Effice, Domine, vt tuo beneficio præstare queam, quod natura posse non videor. Scis, me alioquin parum posse pati, & vel leui casu facile deiici: fac, vt mihi omnis rerum adversarum miseria pro tuo nomine amabilis fit & optanda: nam pro te pati & vexari, est animæ meæ admodum salutare. *(i)*

CAP.

(*f*) *Matth.* 5. *v.* 10. *Rom.* 8. *v.* 18. (*g*) *Ephes.* 6. *v.* 10. (*h*) 2. *Tim.* 2. *v.* 5. (*i*) *Rom.* 5. *v.* 3. *Iac.* 1. *v.* 2.

CAPVT XXII.

De infirmitatis suæ confessione, & huius vitæ miseriis.

I. NIustitiam infirmitatemque meam tibi, Domine, confitebor. Sæpe me parua res deiicit, & mœrore afficit. Interdum fortem me præstare statuo: & mox vel exiguo casu tentatus, in magna versor angustia. *Nonnunquam ex re vilissima existit grauissima tentatio:* ac qui me, quum eam non sentirem, non intutum esse putaui, idem me nonnunquam leui flatu pene labefactari video.

II. Quamobrem adspice, Domine, humilitatem fragilitatemque meam tibi cognitissimam: miserere mei, meque ex hoc luto eripe, ne submersus funditus peream. Vrit hoc me subinde, & coram te pudefacit, quod tam sum caducus, & ad resistendum perturbationibus infirmus, quæ, etsi me non omnino ad assensionem per-

trahunt; tamen mihi molesta & gravis est earum infestatio, tædetque admodum sic quotidie in lite viuere. Atque hinc mihi perspicua fit infirmitas mea, quod me multo facilius inuadunt sceleratæ cogitationes, quam discedunt.

III. Vtinam tu meos labores & dolores, o fortissime Deus Israelitarum, & fidelium animarum cupidissime, respicias, meaque cœpta omnia secundes. Robora me cælesti fortitudine, ne vetus homo, misera caro, spiritui nondum plane subiecta, dominetur, adversus quam certandum erit, quamdiu in hac miserrima vita spirabitur: miserrima, inquam, quippe in qua nunquam desint calamitates & miseriæ, *(k)* in qua plena laqueis & hostibus sint omnia. *(l)* Nam succedunt tentationes tentationibus: quin etiam adhuc durante priore conflictu, super-

(k) *Iob.* 14. *v.* 1. (l) *Psal.* 124. *v.* 2. 1. *Pet.* 5. *v.* 8.

ſuperueniunt nec opinanti plures alii. (*m*)

IIII. Poteſtne igitur amari vita, quæ tot habet amaritudines, totque calamitatibus & miſeriis ſubiecta eſt? aut poteſtne etiam vita dici, quæ tot mortes peſtesque gignat? Et tamen amatur, & in ea voluptates multi conſectantur. *Vituperatur frequenter mundus, quod tam fallax ſit & vanus: nec tamen facile relinquitur*, nimium dominantibus carnis cupiditatibus. Nimirum alia ad eum amandum, alia ad contemnendum alliciunt. *ad amandum allicit carnis oculorumque cupido*, & vitæ ſuperbia: (*n*) eiusdem odium tædiumque pariunt pœnæ & miſeriæ ſubſequentes.

V. Sed vincit, proh dolor! voluptas prauа mentem mundo addictam, ita vt ſenſuum titillationibus delinita retineatur, quando Dei ſuauitatem, interioremque virtutis dulcedinem neque

(*m*) *Iob 7. v. 1.* (*n*) *1. Ioh. 1. v. 16.*

vidit neque gustauit. Verum, *qui mundum plane contemnunt*, & Deo sub sancta disciplina viuere studeant, *ii diuinam dulcedinem* iis, qui seipsos vere abnegauerint, *promissam non ignorant*, & quam grauiter mundus erret, quamque varie fallatur, vident. (*o*)

CAPVT XXIII.

In Deo supra omnia bona donaque adquiescendum esse.

SVpra omnia & in omnibus semper in Domino adquiesce, anima mea: siquidem ipse est sanctorum æterna requies. Da mihi, dulcissime & amantissime Iesu, in te supra omnem rerum naturam adquiescere: supra omnem salutem & pulchritudinem, supra omnem gloriam & honorem, supra omnem potentiam & dignitatem, supra omnem scientiam & solertiam, supra

(*o*) 1. *Ioh.* 5. *v.* 4.

ſupra omnes diuitias & artes, ſupra omnem lætitiam & exſultationem, ſupra omnem famam & laudem, ſupra omnem ſuauitatem & ſolatium, ſupra omnem ſpem & promiſſionem, ſupra omne meritum & cupiditatem, ſupra omnia dona & munera, quæ tu dare potes & fundere, ſupra omne gaudivm & iubilum, quod mens capere poteſt & ſentire: denique ſupra omnes angelos & archangelos, ſupra omnem cæli exercitum, ſupra omnia viſibilia & inviſibilia, & ſupra quidquid tu, mi Deus, non es.

II. Nam tu, mi Deus, omnium optimus es, tu ſolus potentiſſimus, tu ſolus copioſiſſimus & pleniſſimus, tu ſolus ſuauiſſimus & ſolatii efficientiſſimus, tu ſolus pulcherrimus & amabiliſſimus, tu ſolus omnium nobiliſſimus & glorioſiſſimus, in te vno omnia bona, eaque perfecta & ſunt & fuerunt & futura ſunt: ideoque *& minus & parum eſt, quidquid tu præter teipſum mihi*

mihi donas, aut de teipso patefacis promittisue, non viso nec plene adepto. Siquidem *non potest animus* meus *vere quiescere*, nec eo, quod adest, satis contentus esse, *nisi* omnia dona omnemque rerum naturam prætergressus, *in te adquiescat*.

III. O mi dulcissime sponse, Iesu Christe, amator purissime, dominator vniuersi, vtinam veræ libertatis alas habeam, (p) vt ad te volem, & in te requiescam. O quando licebit plane vacare mihi, & videre, quam tu sis suavis, Domine mi Deus? Quando tandem me in te plane colligam, ita vt præ tui amore non iam meipsum, sed te solum incredibili sentiendi modo, eoque non cuiuis cognito, sentiam? Nunc frequenter gemo, & infelicitatem meam cum dolore fero, quia multa mala in hac miseriarum valle occurrunt, quæ me sæpius conturbant, contristant, obnubilant, sæpius impediunt, distra-

(p) *Ps.* 55. *v.* 7.

distrahunt, alliciunt, implicant, ne liberum ad te aditum habeam, neue iucundis fruar amplexibus, præsens semper beatis spiritibus. Moueant te mea tot suspiria, tot ærumnæ, quas in terris perfero. O Iesu, splendor æternæ gloriæ, solamen peregrinantis animæ, apud te est os meum vocis expers, teque meum alloquitur silentium! Quousque tardat aduentum suum Dominus meus? veniat ad me pauperculum suum, lætumque faciat: & porrecta manu miserum ex omni angustiâ eripiat. Veni, veni: nam sine te nulla dies, hora nulla erit quieta, quippe qui *mea sis lætitia, sine qua vacua est mens mea.* Miser ego sum, & nescio quo pacto, quasi carcere compedibusque premor, donec tu me luce præsentiæ tuæ reficias, ac libertate dones, amicumque vultum ostendas.

IIII. Quærant alii pro te, quidquid libuerit: mihi quidem aliud nihil nec placet, nec placebit, nisi tu, mi Deus,

mea

mea spes & salus æterna. (q) Nunquam tacebo, nunquam precari desinam, donec tuus reuertatur fauor, meque domi alloquaris.

V. IESVS. En! adsum ego tibi, quia me inuocasti: tuæ me lacrimæ, animique cupido, & deiectio atque angor, ad te me commouendo deuocarunt.

VI. SERV. Ego te, Domine, tui fruendi cupidus inuocaui, propter te omnia respuere paratus. (r) Tu enim prior me ad te quærendum excitasti: qua equidem de re tibi, Domine, gratias ago, qui pro tua singulari misericordia tuum me tanto affeceris beneficio. Denique quid pluribus opus est, aut quid superest, nisi, vt me tibi modestissime submittam, iniustitiæ vilitatisque meæ perpetuo memor? Tui enim nullus vsquam in omnibus, quæ cælo terraque admiranda continen-

(q) *Psal.* 3. *v.* 4. *Ps.* 73. *v.* 26. (r) *Phil.* 3. *v.* 8.

nentur, similis est. (s) Tua opera supra modum bona sunt, (t) Domine, sententiæ veræ, (u) & prouidentia tua reguntur vniuersa. (x) Quamobrem laudibus & gloria afficiaris, o Patris Sapientia! te animusque osque meum vna cum vniuersa rerum natura collaudet atque concelebret. (y)

CAPVT XXIIII.

De tot Dei beneficiorum recordatione.

APeri, Domine, meæ mentis oculos, meque secundum legis tuæ præcepta viuere doce. Effice, vt voluntatem tuam intelligam, magnaque cum reuerentia ac diligenti consideratione tua cum in vniuersos, tum in me collata beneficia recolam, vt

(s) *Psal.* 71. *v.* 19. (t) *Gen.* 1. *v.* 31. (u) *Psal.* 19. *v.* 10. (x) *Sap.* 14. *v.* 3. (y) *Psal.* 149. *v.* 5.

vt inde dignas tibi gratias agam. Quamquam, vt verum fatear, ne minimam quidem eorum partem laudibus æquare possim, tantumque abest, vt tot collatis in me bonis par sim, vt dum liberalitatem tuam considero, præ eius magnitudine deficiat me spiritus.

II. Nam quæcunque vel animi vel corporis, siue extra siue intus, tum naturaliter, tum contra naturam possidemus, tua sunt beneficia, tuamque beneficentiam, benignitatem, bonitatem commendant, (z) a quo bona omnia acceperimus. (a) Quod si alius alio plura aut pauciora accepit, (b) omnia quidem tua sunt, & sine te ne minimum quidem haberi potest. (c) Quod si quis maiora adeptus est, non potest de merito suo gloriari, neque se supra ceteros extollere, aut minori insultare: (d) siquidem tanto

(z) *Ps.* 33. *v.* 5. (a) *Iac.* 1. *v.* 17. (b) *Matth.* 25. *v.* 15. (c) *Ioh.* 3. *v.* 27. (d) 1. *Cor.* 12. *v.* 4.

tanto quisque maior meliorque est, quanto sibi minus adscribit, quantoque est in agendis gratiis modestior & religiosior: ac *quo se quisque magis omnium vilissimum indignissimumque existimat, eo est maioribus obtinendis aptior.* (e) Rursum si quis pauciora adeptus est, dolere, aut id indigne ferre, aut ditiori inuidere non debet; sed te potius intueri, tuamque bonitatem maxime laudare, quod tam copiose, tam libenter, nullo personarum discrimine, tua largiaris.

III. A te omnia, ideoque in omnibus laudandus es: ac *quid cuique donari expediat, tu scis; & cur hic minus, ille plus habeat, diiudicare non nostrum, sed tuum est*, quidquid cuique conueniat, perspectum habes. (f)

IIII. Itaque, Domine Deus, *magni* etiam *beneficii loco habeo, non multa habere, quæ humano more laudanda & glo-*

(e) *Luc.* 18. *v.* 13. *Iac.* 4. *v.* 6. (f) 1. *Cor.* 12. *v.* 11.

& glorioſa eſſe videantur: atque ita cenſeo, debere hominem ſua vilitate & inopia non modo non angi & dolere, animumque deiicere; verum etiam magnum inde ſolatium hilaritatemque percipere: quia tu, *Deus, inopes & humiles, vulgoque deſpectos, tibi familiares domeſticosque cooptes.* (g) Teſtes ſunt ipſi *apoſtoli* tui, qui a te totius orbis principes conſtituti, ita modeſtos, ita ſimplices ſe & omnis malitiæ dolique expertes præſtitere, vt *non modo a querelis abſtinerent, verum etiam contumeliis pro tuo nomine affici ſe gauderent*, & a quibus homines abhorrent, ea ipſi auidiſſime amplexarentur.

V. Nihil ergo tui amatorem, tuorumque beneficiorum cumulum agnoſcentem, æque exhilarare debet, vt tuæ voluntatis æternique decreti cognitio, quo quidem ita contentus eſſe, itaque id boni conſulere debet, vt non

(g) *Pſ.* 113. *v.* 6.

non minus minimum, quam alius maximum se esse cupiat : nec minus infimum, quam summum locum, boni consulat : nec minus libenter despectus sit & abiectus, nulliusque nominis homuncio, quam vel omnium illustrissimus atque maximus. Nam *voluntas tua, & amor honoris tui, omnia superare debet*, eumque *magis consolari*, & ei *magis placere, quam omnia* in ipsum *vel collata vel conferenda beneficia.*

CAPVT XXV.

De quatuor pacem conciliantibus.

NVnc te, fili, viam veræ pacis & libertatis docebo.

II. SERV. Fac, Domine, quod dicis: nam istud audire mihi gratum est.

III. DOM. Da operam, fili, vt *alterius potius, quam tuam voluntatem facias. Semper minus, quam plus habere malis.*

lis. Semper infimum locum quære, & omnibus parere cupias. *Semper opta oraque, vt Dei voluntas in te plane fiat.* Hæc qui præstat, eum scito in fines pacis & quietis ingredi.

IIII. SERV. Domine, breuis iste tuus sermo multum continet perfectionis: estque dictu exiguus ille quidem, sed & mente plenus, & fructu copiosus. Quod si ei fideliter obtemperarem, equidem non tam facile existeret in me perturbatio: ac quoties me impacatum grauatumque sentio, ab hac doctrina me deflexisse comperio. Sed tu, qui omnia potes, & humanæ animæ profectum semper amas, auge tuam erga me beneficentiam, vt & tua dicta exsequi, & salutem assequi valeam.

CAP.

CAPVT XXVI.

Precatio aduersus malas cogitationes.

DOmine mi Deus, noli a me discedere: *(h)* mi Deus, vide, vt mihi opem feras: nam existunt in me prauæ cogitationes, & timores, qui animum meum vexent: quas ego cogitationes quonam pacto illæsus transeam aut perfringam?

II. DOM. Ego tibi præibo, humanamque potentiam deprimam, & aperto carceris ostio arçana abditaque tibi pandam.

III. SERV. Ita facito, Domine, omnesque prauas cogitationes tuo vultu fugato. Hæc mihi vnica spes est & consolatio, ad te omni calamitate confugere, tibi confidere, te intimis sensibus inuocare, & patienter consolationem tuam exspectare. *(i)*

(h) *Ps.* 71. *v.* 12. (i) *Ps.* 18. *v.* 2.

CAPVT XXVII.

Preces ad mentis illuminationem obtinendam.

COlluſtra me, bone Ieſu, ſplendore luminis æterni, & ex animi mei quaſi domicilio diſſipa tenebras vniuerſas. Cohibe tot euagationes, & violentas tentationes retunde. Pugna pro me fortiter, & expugna malas beſtias, videlicet illecebrarum cupiditates, vt virtute tua pax fiat, ſanctaque aula, hoc eſt, mundatus animus meus, laudibus tuis perſonet. Impera ventis & tempeſtatibus, iube mare pacari, iube flatum aquilonis ſedari, & erit magna tranquillitas.

II. Mitte lucem veritatemque tuam, quæ terram colluſtret: nam ego terra ſum rudis & iners, donec tu me illumines. Effunde fauorem tuum deſuper, perfunde animum meum beneficentia cæleſti, ſuppedita religionis aquam, quæ irrigata terræ ſuperficie, bonum,

bonum, vel potius optimum fructum eliciat. Eleua mentem preſſam mole peccatorum, & ad cæleſtia totam cupiditatem meam ſuſpende, vt guſtata ſuauitate ſupernæ felicitatis, tædeat de terrenis cogitare. Eripe, vel potius rape me ex omni rerum humanarum non durabili conſolatione: nam adpetitum meum plane ſedare & ſolari nulla res creata poteſt. Iunge me tibi indiſſoluto amoris vinculo: nam tu ſolus amanti ſufficis, & absque te friuola ſunt vniuerſa.

CAPVT XXVIII.

De vitanda curioſa inquiſitione in vitam alterius.

NAte, noli eſſe curioſus, aut ſupervacaneas habere ſolicitudines. Quid hoc aut illud ad te? tu me ſequere. (*k*) Quid enim tua refert, qualis quisque ſit, quidue quisque agat,

(*k*) *Ioh.* 21. *v.* 22.

gat, aut loquatur? *Non necesse habes, aliorum causſam agere: pro teipſo rationem reddas oportet.* Quid ergo te alienis implicas?

II. Ego omnes noui, & omnia, quæcunque ſub ſole fiunt, video: ac quomodo cum quoque agatur, ſcio, quid cogitet, quid velit, & quo tendat eius conſilium. Itaque mihi committenda ſunt omnia: *tu pacem colito, & inquietos quidlibet agitare ſinito, (l) ſuorum omnium factorum dictorumque rationem vtique reddituros*: neque enim fallere me poſſunt.

III. *Neue magni nominis umbra, neve multorum familiaritas, neue priuata hominum amicitia tibi ſit curæ.* Nam animi diſtractiones iſta gignunt, eumque atra caligine circumfundunt. Equidem libenter tibi dicta mea eloquerer, & arcana detegerem, ſi aduentum meum diligenter obſeruares, & animi oſtium mihi aperires. (m)

CAP.

(l) *Rom.* 12. v. 20. (m) *Cant.* 5. v. 2. *Apoc.* 3. v. 20.

CAPVT XXVIIII.

In quibusnam firma pax animi, verusque profectus consistat.

FIli, ego sic loquutus sum(*n*): *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat*, ego do vobis. Pacem omnes cupiunt: sed quæ ad veram pacem necessaria sunt, non omnes curant. (*o*) *Pax mea cum modestis, & animi mansueti hominibus rem habet.* (*p*) Pax tua in magna patientia sita est, eaque multa frui tibi licebit, si me audieris, & vocem meam sequutus fueris.

II. Quamobrem omnibus in rebus attende, quid agas aut dicas, & *hoc vnum age, vt mihi placeas, & extra me nihil cupias aut quæras. De aliorum* quidem *dictis factisue nihil temere iudices, neue rebus tibi non commissis*

(*n*) *Ioh.* 14. *v.* 27. (*o*) *Luc.* 19. *v.* 43. (*p*) *Matth.* 11. *v.* 29.

te implices: (q) hac ratione fiet, vt *& parum & raro turberis.*

III. Nam nullam vnquam sentire perturbationem, nec vlla animi aut corporis affici molestia, præsentis temporis non est, sed status æternæ quietis. Quare *ne existima, te veram pacem inuenisse, si nihil molesti sentis: aut totum esse bonum, si nullum pateris aduersarium:* aut perfectum, si omnia ex animi tui sententia succedunt: neue te magni aliquid esse putes, aut vnice amari existimes, si in magna religione versaris & dulcedine. Neque enim ex istis cognoscetur verus amator virtutis, nec in istis consistit hominis profectus & *perfectio.*

IIII. In quonam igitur? nimirum *in offerendo teipsum toto animo voluntati diuinæ, nullaque in re* tanta tantulaue nec in tempore, nec in æternitate *tibi ipsi studendo:* ita, vt inter prospera & aduersa eundem vultum cum gratiarum

(q) *Matth. 7. v. 1.*

tiarum actione perpetuo retineas, omnia æqua lance pensando. Denique si tam fortem te tamque perseuerantis fidei præstiteris, vt subtracta interiori consolatione animum tuum vel ad maiora perferenda præpares, nec te iustum sanctumque prædices atque collaudes, fiet, vt vera rectaque pacis via gradiare, (r) sitque indubitata spes, fore, vt rursus vultum meum cum læto cantu videas. (s) Quod *si ad plenum tui contemtum perueneris, scito, futurum esse, vt pace tanta fruare, quanta maxima cadit in istam mortalitatem.*

CAPVT XXX.

De liberæ mentis excellentia: itemque supplicem precationem præstare lectioni.

EST hoc sane *opus perfecti viri*, Domine, *nunquam a cælestium rerum tractatione animum relaxa-*

(r) *Rom.* 5. *v.* 3. *Iac.* 1. *v.* 2. (s) *Ps.* 42. *v.* 12.

re, & inter multas curas quasi sine cura transire, non more torpentis, sed præstabilitate liberæ mentis, nulli humanæ rei intemperantiore cupidine adhærendo. (*t*)

II. Obsecro te, mi clementissime Deus, tuere me ab huius vitæ curis, ne tot corporis necessitatibus nimis implicer, neue earum rerum, quæ animæ officiunt, voluptate capiar, neue molestiis fractus deiiciar. (*u*) Non de rebus illis loquor, quas toto animo ambit mundana leuitas: sed de miseriis illis, quæ animum meum communi mortalitatis infelicitate pœnali grauant, retardantque, quo minus in libertatem spiritus, quoties libet, intrare queat.

III. *O mi Deus*, dulcedo ineffabilis, *verte mihi in amaritudinem omne carnale solatium*, quod ab æternorum amore me abstrahit, & intuitu nescio cuius præsentis delectantisque boni allicit. Ne me vincat, mi Deus, ne vincat caro

(*t*) 1. *Cor.* 7. *v.* 29. (*u*) *Matth.* 6. *v.* 20.

caro & sanguis, ne me mundus eiusque breuis gloria decipiat, ne me diabolus astutia sua supplantet. Da mihi ad resistendum fortitudinem, ad tolerandum patientiam, ad perseuerandum constantiam. Da pro omnibus mundi solatiis suauissimam tui spiritus vnctionem, & pro carnali amore infunde tui nominis amorem.

IIII. *Ipse cibus & potio, & vestis, & cetera ad corporis alimoniam necessaria, ardenti spiritui sunt onerosa.* Effice, vt huiusmodi alimentis temperate vtar, non cupidine eorum nimia implicer. Omnia quidem abiicere non licet, quippe cum sustentanda sit natura: rursum superflua & iucundissima quæque adpetere, lex sancta vetat: nam alioquin caro aduersus spiritum insolesceret. Inter hæc, quæso, manus tua me regat & doceat, ne quid nimium fiat.

CAP.

CAPVT XXXI.

Amore sui a summo bono maxime retardari homines.

FIli, totum toto emas oportet, neque quidquam tui retineas. (x) nam vt hoc scias, *plus tibi nocet amor tui, quam quidquid vsquam est*: sitque, vt secundum eum, quem geris amorem & cupiditatem, quælibet res magis minusue adhæreat. Quod si puro, simplici, temperato amore præditus eris, carebis seruitute rerum. *Noli concupiscere, quod non licet habere. Noli habere, quod te impedire, & animi libertate priuare potest.* Mirum, quod non teipsum cum omnibus, quæ optare aut habere potes, mihi toto animo penitus committis.

II. Cur vano mœrore consumeris? cur superfluis curis fatigaris? *Præbe te arbitrio meo obtemperantem, & nullum patiere detrimentum.* Nam si, vt com-

(x) *Matth.* 13. *v.* 44.

commoda tua compares, optatisque potiare, animum rebus quærendis applicueris, locumque mutare concupiveris, nunquam quietem assequeris, nec a solicitudine liber eris. Nam in omni re erit, quod desideres, & in omni loco erit, qui aduersetur.

III. *Iuuat* igitur *res quæque*, non adepta aut copiose aucta, sed potius *contemta, & ex animo radicitus excisa:* id quod non tantum de censu æris aut divitiarum dictum accipias velim, verum etiam de honoris ambitione, vanæque laudis cupiditate, quæ omnia cum mundo intereunt.

IIII. Locus quoque hominem parum munit, si deest ardens spiritus: nec diu consistit pax illa extrinsecus quæsita, si vacat vero fundamento constitutionis animi: hoc est, nisi in me steteris, locum, non animum mutaueris. Nam orta sumtaque occasione, *non solum quæ fugeris, sed etiam plura inuenies.*

CAP.

CAPVT XXXII.

Preces ad animi mundiciem, cæleſtemque ſapientiam obtinendam.

COnfirma me, Deus, dono ſancti ſpiritus : da mihi virtutem tantam, vt corroborato interiore homine, animum ab omni inutili ſolicitudine & languore euacuem, nec vllius rei, ſiue vilis, ſiue precioſæ, variis cupiditatibus trahar ; ſed & meipſum & cetera omnia pro perituris habeam : quandoquidem nihil ſub ſole perpetuum eſt : (*y*) quin *vana ſunt omnia, & animi excruciantia. Hæc qui ſic accipit, is inprimis ſapit.*

II. Da mihi, Domine, cæleſtem ſapientiam, vt te ſupra omnia quærere & inuenire, te ſupra omnia ſapere & diligere, & cetera ſecundum ordinem ſapientiæ tuæ, vti ſunt, ſic accipere condiſcam. Da & prudenter declina-

re

(*y*) *Cobel.* 1. *v.* 2.

re adulantes, & patienter ferre aduersantes: nam *nec quauis verborum aura moueri, nec aurem blandienti præbere Sireni, ea demum sapientia est: atque ita demum tuto pergitur cœpta via.*

CAPVT XXXIII.

In maledicos.

Fili, *si qui de te male senserint aut dixerint, id tu ægre ferre noli: (z) quin ipsemet de te ipso deteriora sentito*, & neminem te infirmiorem esse credito. *(a)* Si animi occulta virtutis via incedes, volantia verba haud magni pendes. *Est non parua prudentia, silere aduerso tempore, animumq. suum ad me conuertere*, nec humano iudicio perturbari. *(b)* Non in hominum sententia tibi debet esse posita pax: apud quos siue bene, siue male

(z) *Matth.* 5. *v.* 11. (*a*) *Luc.* 18. *v.* 13.14. (*b*) *Ps.* 56. *v.* 5.

le audias, non idcirco es alius. In me, in me, inquam, vera gloria veraque pax sita est, (c) eaque multa fruetur, *si quis hominibus nec placere concupiuerit, nec displicere metuerit.* Ex intemperato quidem amore, (d) & vano timore oritur animi omnis inquietudo, sensuumque distractio. (e)

CAPVT XXXIIII.

In rebus aduersis quomodo sit inuocandus laudandusque Deus.

COllaudetur nomen tuum, Domine, in perpetuum, qui me hac calamitate tentari volueris: quam equidem effugere non possum, sed ad te confugere necesse habeo, vt me adiuues, & hæc res mihi vt bono sit, efficias. Domine, nunc in calamitate sum, nec animo meo bene est, quin præsenti casu mul-

(c) *Ioh.* 16. *v.* 33. (d) *Matth.* 19. *v.* 22. (e) *Ioh.* 11. *v.* 47.

multum vexor. Itaque quid dicam, pater cariſſime? teneor anguſtiis: vindica me ab hac hora, in quam quidem ideo veni, vt tu celebreris, me tantopere depreſſo, deinde tua ope liberato. Quæſo te, Domine, vt me ex hoc malo velis eripere, inopem, & ſine te, quo me vertam, neſcientem. Da mihi, Domine, nunc quoque patientiam, adiuua me, mi Deus, & feram vel grauiſſimos caſus intrepide.

II. Enimuero inter hæc quid dicam? Domine, fiat voluntas tua, ego malum hoc atque angorem ſum ſane meritus, ideoque mihi ferendum eſt (atque vtinam id patienter faciam) donec finita tempeſtate lætiora ſuccedant. Poteſt autem omnipotens manus tua hanc quoque tentationem a me amouere, & eius impetum mitigare, ne plane ſuccumbam, quemadmodum antea quoque ſæpe mecum egiſti, mi Deus, pro tua erga me miſericordia. Quanto autem difficiliori caſu pre-

mor, tanto ſuauius ope tuæ ſupremæ dexteræ recreabor.

CAPVT XXXV.

De diuino petendo auxilio, & confidentia recuperandæ gratiæ.

NAte, ego ſum Dominus, ille hominum confirmator in rebus adverſis, *(f)* ad quem tu te recipias, ſi quando tibi non bene eſt.

II. Illud autem *cæleſtem conſolationem maxime impedit, quod tu te tardius ad preces conuertis. (ff)* Nam antequam me ſedulo ores, *multa interim ſolatia quæris, teque rebus externis recreas.* Ideoque fit, vt parum proſint omnia, donec aduertas, eum eſſe me, qui eos ex malis eripiam, qui ſpem ſuam in me collocarunt, extra quem nullum nec validum ſit auxilivm,

(f) Nah. 1. *v.* 7. *(ff) Pſ.* 50. *v.* 14.

vm, nec vtile consilium, nec durabile remedium.

III. Sed iam resumto spiritu post tempestatem rursus conualesce in luce meæ misericordiæ: nam præsto adsum (inquit Dominus) ad vniuersa non solum in integrum restituenda, verum etiam cumulate instauranda.

IIII. Numquid mihi quidquam est difficile? aut eorum similis sum, qui promissa non præstant? (g) vbi est fides tua? sta firmiter & perseueranter: *præsta te virum tolerantem atque fortem, aderit tibi suo tempore consolatio.* Exspecta, exspecta me, (h) veniam & te curabo.

V. Tentatio est, quæ te vexat, & solicitudo vana, quæ exterret: quid confert solicitudo de futuris casibus, nisi vt dolorem super dolorem habeas? Satis est suum diei malum: (i) *vanum est* & inutile, *de futuris* vel *turbari* vel *lætari*,

(g) *Ier.* 30. *v.* 17. (h) *Psal.* 37. *v.* 7. (i) *Matth.* 6. *v.* 34.

tari, quæ forsan nunquam euenient. Sed humanum est, huiusmodi imaginationibus illudi, & parui adhuc animi signum, tam facile hostis solicitatione trahi. Ipse quidem, verisne an falsis illudat ac decipiat, & præsentiumne amore, an futurorum formidine prosternat hominem, nihil pensi habet.

VI. Quare *noli animo turbari* aut formidare: crede mihi, & in misericordia mea fiduciam habeto. *Sæpe tibi prope adsum, quum tu me procul abesse putas:* quumque omnia tibi periisse arbitraris, sæpe tanto maius instat lucrum. *Non idcirco perierunt omnia, si res in contrarium cecidit.* Non debes ex præsentium malorum sensu iudicare, neque orta alicunde calamitate sic affici atque percelli, quasi spes omnis sublata sit emergendi.

VII. Noli te prorsus derelictum putare, si quando ego tibi ad tempus vel calamitatem misi, vel etiam optatam subtraxi consolationem: sic enim per-

gi-

gitur ad cæleſte regnum : (k) & *hoc profecto magis e re tua eſt*, ceterorumque cultorum meorum, vt aduerſis excitemini, quam ſi vobis omnia ex animi ſententia ſuccederent. Ego abditas cogitationes ita noui, vt ſciam tuæ ſalutis magnopere intereſſe, vt interdum in triſtibus relinquare, ne forte ſecundo ſucceſſu elatus in eo tibi placeas, quod non es.

VIII. Ego quod dedi auferre, & iterum reddere poſſum, quando libet. Si dedi, meum eſt: ſi ademi, tuum non ademi, cum omne munus bonum perfectumque donum meum ſit. (l) Igitur, *ſi quando tibi mali* aduerſique *aliquid mitto, noli* indignari, aut *animo concidere: ego idem te cito ſubleuare*, & omnia triſtia in gaudium mutare queo.

VIIII. *Ceterum in eo, quod ſic tecum ago, iuſtus ſum, multumque commendandus.* Quod ſi ſapis, & factum

(k) *Act.* 14. *v.* 22. (l) *Iac.* 1. *v.* 17.

hoc meum vere perpendis, nunquam ob res aduersas tam deiecte dolere debes, sed potius gaudere, (*m*) & mihi gratias agere: quin immo hoc vnice gaudendum iudicare, quod ego te doloribus affligens tibi non parco. *Sicut dilexit me pater, ego vos diligo,* (*n*) dixi meis illis carissimis discipulis, quos vtique non ad peritura gaudia misi, sed ad magna certamina: non ad honores, sed ad infamiam: non ad otium, sed ad labores: non ad requiem, sed ad copiosum fructum cum patientia ferendum. (*o*) Horum memento, fili mi, verborum.

CAPVT XXXVI.

De spernendis omnibus rebus humanis, vt creator possit inueniri.

MI Domine, longe maiore adhuc tuo fauore indigeo, vt quidem eo

(*m*) *Iac.* 1. *v.* 2. (*n*) *Ioh.* 15. *v.* 9. (*o*) *Luc.* 8. *v.* 15.

eo perueniam, vt me neque hominum quisquam, neque res vlla creata possit impedire. Nam *quamdiu me res vlla retinet, ad te libere volare nequeo.* Cupiebat ille libere volare, qui dicebat, (p) Vtinam columbæ ritu alas habeam, vt in requietem auolem. Quid simplici oculo quietius? (q) aut *quid eo liberius, qui in terris nihil concupiscit?* Oportet igitur omnes pertransire res creatas, & seipsum eo vsque promouere, vt extra seipsum raptus homo videat, te conditorem nihil cum rebus creatis habere simile. Quod nisi ab omnibus rebus creatis sit expeditus homo, diuinis libere vacare non potest. (r) *Ideo* enim *pauci exstant rebus diuinis contemplandis addicti, quia pauci a perituris rebus humanis se totos semouere sciunt.*

II. Quam quidem ad rem magno opus est fauore diuino, qui animum

(p) *Ps.* 55. *v.* 7. (q) *Matth.* 6. *v.* 22. (r) *Luc.* 14. *v.* 26.

attollat, & supra seipsum rapiat. Atqui nisi homo spiritu attollitur, & ab omnibus rebus humanis liberatus, totus Deo coniungitur, haud magni ponderis est, quidquid vel scit, vel habet. Diu paruus erit, & humi iacebit, qui rem vllam magni æstimat præter vnum immensum æternum bonum. Quidquid quidem Deus non est, id nihil est, proque nihilo ducendum. (s)

III. *Multum* sane *differt inter hominis diuinitus illuminati* ac religiosi *sapientiam, & litterati* eruditique *scientiam*; estque multo nobilior illa doctrina, quæ superne manat e diuina scaturigine, quam quæ humano ingenio laboriose quæritur.

IIII. *Existunt equidem multi diuinarum rerum contemplandarum cupidi: sed qui, quæ ad eam rem necessaria sunt, exercere non studeant.* Est & illud magnum impedimentum, quod in signis & rebus sensibilibus statur, & perfectæ

(s) *Phil.* 3. *v.* 8.

ctæ interfectioni sui exigua opera impenditur.

V. Nescio, quid sit, & quo spiritu ducamur, & quid nobis in mentem veniat, qui spirituales dicimur, quod summa ope & solicitudine in res perituras atque viles incumbimus: iidemque de animi nostri negotiis vix raro collectis plene sensibus cogitamus. Quid? quod post exiguam eorum collectionem statim foras erumpimus, nec opera nostra seueriori examinatione trutinamus?

VI. Vbinam versentur affectus nostri, non attendimus, & quod tam impura sint omnia nostra, non deploramus. Sunt enim omnium hominum corrupti mores, quæ olim causſa fuit tanti diluuii. (t) Corrupto igitur intus affectu, necesse est, vt & sequens actio, index vacuitatis vigoris, corrumpatur. Nam ex puro animo bonæ vitæ fructus proficiscitur. (u)

(s) Phil. 3. v. 8. (t) Gen 8. v. 21. (u) Luc. 6. v. 43.

VII. *Quantum quis faciat, quæritur: sed quanta virtute faciat, non tam studiosè perpenditur.* Num diues sit, num fortis, num pulcher, num strenuus, bonusque scriptor, aut cantor, aut agricola, inuestigatur: quam pauper sit spiritu, quam patiens & mitis, quam religiosus & interior, a multis tacetur. *Natura hominis exteriora intuetur: gratia ad interiora se conuertit:* illa frequenter fallitur, hæc in Deo spem habet, ne decipiatur.

CAPVT XXXVII.

De sui abnegatione, & omnis cupiditatis abdicatione.

NAte, *libertatem perfecte adipisci non potes, nisi teipsum totum abneges.* (x) *Captiui sunt* omnes auari & sui amantes, cupidi, curiosi, vagi, voluptatum, non Iesu Christi semper

(v) *Ps.* 62. *v.* 6, 7. (x) *Luc.* 9. *v.* 23.

per ſtudioſi, & ſæpe non ſtatura molientes, quippe cum periturum ſit, quidquid ex Deo ortum non eſt. Accipe breue abſolutumque dictum: *Omnia relinque, & omnia inuenies.* Relinque cupiditatem, & inuenies requiem. Hoc mente pertracta, & poſtquam omnia impleueris, intelliges.

II. SERV. Domine, non eſt hoc opus vnius diei, aut puerorum ludus: quin in eo paucis comprehenditur omnis religioſi hominis perfectio.

III. DOM. Nate, non protinus auerti, aut animum deſpondere debes, audito nomine perfectionis; ſed potius ad ſublimiora prouocari, & ad ea ſaltem cupiditate ſuſpirare. *Vtinam* eo loco eſſent res tuæ, eoque peruenisſes, vt *tui ipſius amans non eſſes, ſed arbitrio meo plane pareres:* ita fieret, vt mihi valde placeres, omnemque vitam cum gaudio & pace tranſigeres. Habes adhuc multa relinquenda, quæ niſi mihi prorſus tradideris, non adi-

piſceris, quod poſtulas. Suadeo tibi, vt a me emas aurum (y) igne candens, quo locuples fias, hoc eſt, ſapientiam cæleſtem, omnia humilia conculcantem. Abiice terrenam ſapientiam, hoc eſt, deſine tibi humano more placere & blandiri. Dixi tibi viliſſima emenda pretioſis, & quæ in rebus humanis magni fiunt. Nam vilis & parua, ac pene obliuioni tradita videtur illa *vera* cæleſtis *ſapientia*, *quæ ſibi non multum arrogat*, *nec in terris magni cupit fieri*: (z) quam quidem multi ore prædicantes, vita longe diſſentiunt: & tamen ea eſt pretioſa illa, & multis abdita margarita.

CAPVT XXXVIII.

De humani animi inſtabilitate, deque Deo ſibi ante omnia proponendo.

NAte, noli ei, in quo nunc es, affectui credere, quippe mox in ali-

VIII

(y) *Apoc.* 3. *v.* 18. (z) *Iac.* 3. *v.* 17.

vm mutando. *Quamdiu* enim *vives*, *mutabilitati subiectus eris*, *etiam volens*, vt modo lætus, modo tristis, modo pacatus, modo turbatus, nunc religiosus, nunc contra, nunc sedulus, nunc piger, nunc grauis, nunc leuis existas. *Sed supra mutabilia* ista *stat sapiens ille* & spiritu rite doctus, non attendens, quid in se sentiat, aut qua parte flet ventus instabilitatis, sed omne mentis institutum, ad quem debet finem, hoc est, *ad optimum intendens*. Nam ita fit, vt possit homo huiusmodi Idemque inconcussus permanere, simplici intentionis *oculo* per tot tamque varios euentus ad *me sine intermissione directo*.

II. Quanto autem purior est intentionis oculus, tanto constantius inter diuersas itur procellas. Sed in multis caligat ille oculus, facileque in obiectam aliquam voluptatem intuetur, vt raro reperiatur, qui ab amoris sui næuo totus sit immunis. Sic Iudæi olim

lim Bethaniam ad Martham & Mariam venerant, (*a*) non propter Iesum tantum, sed vt Lazarum viderent. *Mundandus* ergo *est intentionis oculus, vt simplex sit & rectus*, atque vltra omnia, quæ varia interueniunt, *ad me dirigendus.*

CAPVT XXXVIIII.

Deum amandi supra omnia & in omnibus, esse iucundum.

ECce *Deus meus & omnia!* quid amplius volo? aut quid felicius optare possum? O sapidum & dulce verbum: sed amanti verbum, non mundum, nec ea, quæ in mundo sunt. *Deus meus & omnia!* intelligenti satis dictum est: & idem sæpe repetere, iucundum est amanti. Te siquidem præsente iucunda sunt omnia: eodem absente molesta. (*b*) Tu

(*a*) *Ioh.* 12. *v.* 9. (*b*) *Ps.* 104. *v.* 28.

Tu animum efficis tranquillum, & magnam pacem festiuamque lætitiam. Tu facis, vt de omnibus bene sentiatur, & in omnibus tu laudere: neque quidquam sine te diu placere potest: quin vt aliquid gratum sapidumque sit, fauor tuus adsit oportet, & illud sapientia tua condiatur.

II. *Cui tu sapis, quid ei non sapiat?* rursum *cui tu non sapis, quid ei voluptatem afferre queat?* Sed in tua sapientia deficiunt mundi sapientes, & qui carnem sapiunt: (*c*) quippe hic mors, illic plurima vanitas inuenitur. Verum, *qui te per mundanorum contemtum carnisque interfectionem sequuntur, ii vere sapientes censendi sunt*, vtpote qui de vanitate ad veritatem, (*d*) de carne ad spiritum transferantur. *His sapit Deus*: & quidquid in rebus creatis exstat, id totum referunt ad laudem conditoris. Dissimilis tamen est, & quidem admodum dissimi-

(*c*) 1. *Cor.* 1. *v.* 19. (*d*) *Rom.* 8. *v.* 5.

similis, sapor creatoris & creaturæ, æternitatis & temporis, lucis increatæ, & lucis illuminatæ.

III. O æterna lux, & quæ cuncta creata superas lumina, affulge mihi, tuaque coruscatione omnia animi mei intima penetra, expia, exhilara, collustra; viuifica spiritum meum cum suis facultatibus, quo tibi cum gestientis lætitiæ cantu adhærescam. O quando veniet beata illa & optanda hora, qua tu me sic tua præsentia saties, vt mihi sis in omnibus omnia! Hoc quidem quamdiu non dabitur, ne gaudium quidem plenum erit.

IIII. Adhuc (id quod mihi dolet) viuit in me vetus homo, nondum totus crucifixus, nondum plane mortuus. Adhuc vehementer concupiscit aduersus spiritum, (e) bella mouet intestina, nec regnum animæ quietum esse patitur. Sed tu, qui maris potestati dominaris, eiusque fluctuum motus

(e) *Gal. 5. v. 17.*

tus componis, age, adiuua me. Dissipa gentes belli cupidas, easque virtute tua contere: (f) exsere magnitudinem tuam, istamque dextram nobilita: nam mihi nulla vsquam spes, nullum perfugium est, nisi in te, Domine mi Deus. (g)

CAPVT XXXX.

Hanc vitam nunquam a tentationibus esse tutam.

NAte, *nunquam in hac vita periculis carebis,* (h) quin *quoad vives, semper tibi necessaria erunt arma spiritualia.* (i) Inter hostes versaris: dextra siniſtraque oppugnaris. (k) Itaque *nisi te vndique sapientiæ scuto proteges, non eris diu sine vulnere.* Præterea *nisi animum tuum in*

(f) Psal. 68. v. 8. (g) Psal. 91. v. 2. (h) Iob. 7. v. 1. (i) 2. Cor. 10. v. 4. (k) Psal. 91. v. 7.

in me defixeris, cum sincera voluntate cuncta propter me patiendi, ardorem istum ferre, aut *beatorum palmam consequi nequibis*. (*l*) Quamobrem omnia viriliter peruadas oportet, & valida manu vtaris aduersus obiecta. Nam vincenti datur manna: (*m*) torpenti vero relinquitur multa miseria.

II. Quod si quæris in hac vita requiem, quomodo tunc peruenies ad æternam? (*n*) *Addice te non quieti, sed patientiæ.* (*o*) *Quære* veram *pacem non in terris, sed in cælis*: non in hominibus ceterisue rebus humanis, sed in solo Deo. Dei amore debes omnia libenter subire, labores, dolores, tentationes, vexationes, anxietates, necessitates, infirmitates, iniurias, obloquutiones, reprehensiones, depressiones, probra, correctiones, despectiones. (*p*) Hæc ad virtutes inuitant, hæc

(*l*) 2. *Tim.* 2. *v.* 5. (*m*) *Apoc.* 2. *v.* 17. (*n*) *Heb.* 4. *v.* 1. (*o*) *Luc.* 21. *v.* 19. (*p*) 2. *Cor.* 6. *v.* 4.

hæc Christi tyronem explorant, hæc fabricant cæleſtem coronam: (q) huic ego homini pro breui labore æternam mercedem, pro intereunte probro ſempiternam gloriam perſoluam. (r)

III. Tene putas ſpiritualia ſemper habiturum arbitrio tuo ſolatia? Non ea fuit olim meorum illorum ſanctorum conditio; quin grauia multa, variasque tentationes, & ingentes clades pertulerunt: (s) in quibus tamen omnibus patientes ſe præſtiterunt, Deo magis, quam ſibiipſis confiſi, ſcientes, huius temporis aduerſa nequaquam eſſe futuræ ipſorum gloriæ paria. (t) Viſne tu ſtatim habere, quod multi poſt multas lacrimas & labores vix tandem obtinuerunt? Exſpecta Dominum, *virum te præbe, neue diffidentia cæpto deſiſtito,* ſed pro Dei gloria corpus animamque conſtanter impendito. Ego te cumulatiſſime remune-

(q) 2. *Tim.* 4. *v.* 8. (r) *Matth.* 5. *v.* 11. (s) *Hebr.* 11. *v.* 35. (t) *Rom.* 8. *v.* 18.

munerabor, tibique in omni calamitate adero. (*)

CAPVT XXXXI.

Contra hominum vana iudicia.

NAte, *animum tuum in Dominum constanter coniicito*, (u) *neue humanum iudicium metuito*, (x) *vbi tua te conscientia pium insontemque pronuntiat.* (y) Ista pati conducibile beatumque est, neque id modesto animo, & Deo magis, quam sibimetipsi confidenti graue est. *Multi multa loquuntur, ideoque eis parum adhibendum est fidei:* & vt omnibus satisfiat, fieri non potest.

II. Et quanquam studuit Paullus omnibus placere, (z) seque omnibus omnia præbuit, tamen idem humano iudicio censeri minimi fecit. (a) Præstitit

(*) *Psal.* 91. *v.* 15. (u) *Psal.* 55. *v.* 23. (x) 1. *Cor.* 4. *v.* 3. (y) 2. *Cor.* 1. *v.* 12. (z) 1. *Cor.* 9. *v.* 22. (a) 1. *Cor.* 4. *v.* 3.

fiitit ille quidem ad aliorum vtilitatem salutemque pro virili, quod potuit: sed quo minus aliorum iudicio damnaretur aut despiceretur, prohibere non potuit, ideoque totum negotium Deo, qui totum nouerat, commisit, & aduersus improborum, summaque cum licentia mentientium calumnias & maledicta, patientia se modestiaque defendit. Respondit tamen interdum, *(b)* ne infirmis taciturnitate sua pareret offensionem.

III. Cur tu tandem ab homine mortali damnari reformides? qui hodie vigens, cras nusquam comparet. *(c)* Deum time, & homines non expauesces. *(d)* *Quid in te verbis iniuriisve potest quisquam? Sibi potius, quam tibi nocet*, nec Dei iudicium effugere poterit, quicunque tandem ille est. Habe tu Deum ob oculos, & *querulis verbis noli contendere.*

IIII. Quod

(b) *Act.* 25. *v.* 10. *c.* 26. *v.* 2. (c) *Isa.* 51. *v.* 12. (d) *Ps.* 27. *v.* 1. *Ps.* 56. *v.* 5.

IIII. Quod si in præsentia immerita infamia opprimi videris, id ægre ferre *noli*, aut *impatientia coronam tuam minuere, sed me potius in cælum intuere, qui possum hominem ab omni probro & iniuria vindicare, & pro suis quemque factis remunerari.* (e)

CAPVT XXXXII.

De pura integraque traditione sui, ad animi libertatem obtinendam.

NAte, *relinque teipsum, & me inuenies.* Fac, *vt nihil tibi vendices*, nihil proprium habeas, & *semper lucraberis.* Nam maioribus insuper donabere, simul atque teipsum non reuocaturus tradideris.

II. SERV. Domine, quoties me tradam, & in quibus me relinquam?

III. DOM. Semper & omni hora, tum in paruis, tum in magnis rebus. Nihil excipio: quin *in omnibus nudatum*

(e) *Rom. 2. v. 6.*

tum te inueniri volo. Alioquin qui possis esse meus, & ego tuus, nisi sis ab omni propria voluntate intus forisque spoliatus? Hoc quanto celerius egeris, tanto melius tecum agetur: & *quanto plenius* & sincerius, *tanto & magis mihi placebis*, & plus lucrabere. *(f)* Nonnulli sese tradunt illi quidem, sed cum aliqua exceptione. *(g)* Neque enim plene Deo confidunt, ideoque vt sibi prouideant, dant operam. Alii primo etiam totos se dedunt: sed postea pulsante tentatione ad sua redeunt, ideoque in virtute minime proficiunt. Hi ad veram puri cordis libertatem, & iucundissimum meæ familiaritatis beneficium nunquam adspirabunt, nisi antegressa fuerit sui integra traditio *(h)* immolatioque quotidiana, *(i)* sine qua vt Dei coniunctione fruaris, nec fit, nec futurum est. Dixi tibi sæpissime, & nunc

(f) *Luc.* 12. *v.* 35. (g) *Luc.* 9. *v.* 59. (h) *Luc.* 9. *v.* 23. (i) *Rom.* 12. *v.* 1.

iterum dico: *relinque tradeque teipſum, & frueris alta pace animi.* Da totum pro toto, nihil exige, nihil repete: in me mere & citra hæſitationem mane, & me habebis: animoque liber, & a tenebris immunis eris. Hoc conare, hoc ora, hoc vt optes, operam dato, vt teipſo plane exutus nudus nudum Ieſum ſequare, *tibique mortuus mihi viuas in perpetuum.* (k) Tunc abeunt & vanæ imaginationes, & improbæ perturbationes, & curæ ſuperfluæ: tunc & immoderatus timor faceſſet, & intemperans morietur amor.

CAPVT XXXXIII.

De rebus externis rite adminiſtrandis, deque confugiendo ad Deum in periculis.

NAte, illud tibi diligenter curandum eſt, vt in omni & loco & exter-

(k) *Rom. 6. v. 11. 1. Pet. 2. v. 24.*

terna actione atque negotio animum liberum & sui compotem habeas, *omniaque tibi, non te illis subiicias*, actionumque tuarum non seruus sis aut mancipium, sed dominus, sed rector, sed vere manumissus, & Hebræus, in liberorum Dei sortem libertatemque translatus, qui præsentia calcantes, æterna speculantur, & mortalia sinistro, cælestia dextro oculo intuentur: quos temporalia non trahunt ad inhærendum: sed potius ea ipsi trahunt ad bene seruiendum, sicut & a Deo & a summo opifice constituta sunt, qui nihil inordinatum reliquit in rebus a se conditis.

II. Iam vero si in omni casu non rei speciei inhæseris, neque carnali oculo visa auditaue lustraueris, sed in quaque re protinus in tabernaculum ad consulendum Dominum cum Moyse intraueris, audies nonnunquam diuinum responsum, deque multis tum præsentibus tum futuris

doctus redibis. Semper enim *Moyses ad tabernaculum se recipit in dubiis & quæstionibus soluendis*, (*l*) *confugitque ad precationis opem*, ad pericula hominumque improbitatem propulsandam. Sic & tu *in cordis tui penetrale debes confugere, diuinam opem intentius implorando.* Nam propterea deceptos a Gabaonitis Iosuam ceterosque Israelitas fuisse, (*m*) memoriæ proditum exstat, quod Dominum non prius consuluerunt: sed dulcedini verborum creduli pietatis specie delusi sunt.

CAPVT XXXXIIII.

Ne importunus sit homo in negotiis.

NAte, *caussam tuam mihi semper committito: ego eam suo tempore rite componam.* Exspecta decretum meum, & senties inde profectum.

II. SERV.

(*l*) *Exod.* 33. *v.* 9. (*m*) *Ios.* 9. *v.* 3.

II. SERV. Domine, libenter equidem rem omnem tibi committo, quia parum mea proficit cognitio. Atque vtinam non sic essem de futuris casibus solicitus, sed me incunctanter arbitrio tuo subiicerem.

III. DOM. Nate, sæpe rei cuiuspiam cupidus homo eam affectat: deinde eandem adeptus aliter sentire incipit: quippe cum durabiles non sint eiusdem rei cupiditates, sed vos ad alia atque alia impellant. Itaque *vel in minimis seipsum relinquere non est minimum*, estque *verus hominis profectus in sui abnegatione positus*, (*n*) vt qui id præstiterit, is liberrimus sit atque tutissimus. Sed antiquus ille hostis omnibus bonis aduersans a tentatione nunquam cessat, & noctes diesque graues molitur insidias, si forte incautos in fraudis laqueum præcipitare possit. (*o*) Quare *vigilate & orate*, inquit

(*n*) *Luc.* 9. *v.* 23. *c.* 14. *v.* 33. (*o*) 1. *Pet.* 5. *v.* 8.

quit Dominus, *ne intretis in tentationem.* (p)

CAPVT XXXXV.

Hominem nihil ex seipso habere boni, neque de vlla re gloriari posse.

DOmine, *quid est homo, vt tu sis eius memor? quid est homine natus, vt eum cures?* (*) quid promeruit, vt eum fauore tuo prosequereris? Domine, quid possum conqueri, si me deserueris? aut quid merito expostulare, si mihi postulata non concesseris? (q)

II. Certe hoc mihi vere cogitare licet ac dicere: Domine, nihil ego sum, nihil per me boni habeo, quin omnivm inops ad nihil semper tendo. Quod nisi a te adiutus, & intus in animo instructus fuero, totus efficior tepidus & dissolutus.

III. Tu

(p) *Matth.* 26. *v.* 41. (*) *Ps.* 8. *v.* 5.
(q) *Rom.* 11. *v.* 35.

III. Tu vero, Domine, semper idem es, idemque permanes in æternum, (r) semper bonus, iustus, sanctus, qui omnia bene, iuste, sancte facias, & cum sapientia componas. (s) At ego ad defectum magis, quam ad profectum pronus, non semper in eodem statu perduro, quippe temporis vicissitudinibus obnoxius. (t) Sed idem tamen te manum adiutricem porrigente, facile recreor, quandoquidem solus sine vlla humana ope auxiliari potes, meque vsque adeo confirmare, vt vultus meus iam in diuersa non mutetur, sed in te vno animus meus corrigatur & adquiescat.

IIII. Itaque si dum vel animi religionem desidero, vel aliqua necessitate ad te quærendum (quippe cum nemo sit, qui me consoletur) impellor, omnem humanam consolationem scirem abiicere, equidem de fauore tuo

(r) *Ps.* 102. *v.* 28. (s) *Ps.* 104. *v.* 24. (t) *Iob.* 14. *v.* 2.

merito bene sperare, nonnunquamque consolationis donum cum lætitia exspectare possem. Denique tui est beneficii, quidquid vnquam mihi bene succedit: ego tibi vanus & nihili homuncio sum, inconstans & infirmus.

V. Igitur gloriari vnde possim? aut cur suspici cupiam? de nihilo videlicet: at id quidem vanissimum est. (*u*) Vere *pestilentissima* & inanissima *res est ambitio*, quæ hominem & a vera gloria abstrahat, & cælesti fauore spoliet. (*x*) Nam dum sibi placet homo, tibi displicet; dum humanis laudibus inhiat, veris virtutibus priuatur.

VI. Est autem vera gloria, sanctaque lætitia, de te, non de seipso gloriari: (*y*) deque tuo nomine, non de sua virtute gaudere, aut re vlla, nisi propter te delectari.

VII. Er-

(*u*) *Ier.* 9. *v.* 22. 1. *Cor.* 4. *v.* 7. (*x*) *Gal.* 5. *v.* 21. (*y*) *Ier.* 9. *v.* 23. 2. *Cor.* 10. *v.* 17.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1857201116/phys_0294
DFG

VII. Ergo *tuum*, *non meum nomen laudetur*: tuum, non meum opus extollatur: tuum illud sanctum nomen ita celebretur, vt ego nulla hominum laude afficiar. *(z)* De te perpetuo lætus gloriabor: de me nihil, nisi de infirmitatibus meis. *(a)* Adpetant Iudæi mutuam inter se gloriam: *(b)* ego ei studebo, quæ a solo Deo est. Omnis quidem humana gloria, omnis honor mortalis, omnis mundana excelsitas, si cum tua ista æterna gloria conferatur, vanitas est & stultitia. *(c)* O mea veritas, mea misericordia, mi Deus, beata Trinitas, tibi soli laus, virtus, honor, gloria, (d) in omnem seculorum perpetuitatem. Amen.

CAP.

(z) *Psal.* 79. *v.* 9. (a) 2. *Cor.* 11. *v.* 30. (b) *Ioh.* 5. *v.* 44. (c) *Iac.* 1. *v.* 9. (d) 1. *Tim.* 1. *v.* 17.

CAPVT XXXXVI.

De mortalis honoris contemtu.

NAte, *tua nihil referre putato, si alios honorari & extolli, te vero despici contemnique videas.* (e) Erige ad me in cælum animum, & ab hominibus in terris contemni non ægre feres. (f)

II. SERV. Domine, in cœcitate sumus, & vanitate facile seducimur. Si recte meipsum inspicio, nunquam mihi ab vlla re facta est iniuria, quo fit, vt, quod de te merito conquerar, non habeam. Sed quia in te & frequenter & grauiter peccaui, merito armatur in me omnis rerum natura. Igitur *mihi infamia & contemtus, tibi laus, honor, gloria debetur.* (g) Ac nisi me sic comparauero, vt me ab omnibus despici atque derelinqui, planeque nullo loco haberi æquo animo feram, non possum

(e) *Iac. 2. v. 2.* (f) *Matth. 5. v. 11.* (g) *Dan. 9. v. 7.*

possum nec animum consequi pacatum atque stabilem, neque diuinitus illustrari, nec tibi plene coniungi.

CAPVT XXXXVII.

Pacem sibi in hominibus non esse collocandam.

NAte, si tibi pacem in quoquam mortalium, propter tuam cum illo concordiam atque consuetudinem collocaueris, instabilis eris & inquietus. (*h*) Sin te ad sempiternam immortalemque veritatem receperis, amici discessu obituue non cruciabere. *Tanto* enim *magis Deo propinquat homo, quanto ab omni solatio terreno longius recedit:* tantoque in Deum altius adscendit, quanto in se profundius descendit, quantoque magis sibi vilescit. (*i*)

II. *Qui* vero *boni quidpiam sibi arrogat,*

(*h*) *Ioh.* 14. *v.* 27. (*i*) *Phil.* 2. *v.* 5. *Iac.* 4. *v.* 10.

rogat, is Dei fauorem in se vigere prohibet, quippe cum Sancti Spiritus fauor submissum animum semper quærat. (*k*) Si tu teipsum plane in nihilum redigere, atque ab omni creato amore eximere scires, equidem in te magna cum beneficentia defluerem. Sed *dum tu in res creatas intueris, subtrahitur tibi creatoris adspectus.* Disce teipsum in omnibus ob creatorem vincere: ita fiet, vt ad Dei cognitionem peruenias. Vel *quantulacunque res, si intemperanter amatur* & respicitur, *a summo bono retardat, hominemque vitiat.* (*l*)

CAPVT XXXXVIII.

In vanam secularemque scientiam.

NAte, *elegantibus acutisque hominum dictis moueri nolito.* Neque enim in sermone, sed in virtute

(*k*) *Ps.* 51. *v.* 19. *Ies.* 66. *v.* 2. (*l*) *Matth.* 10. *v.* 37.

tute situm est regnum Dei. (*m*) *Attende verba mea, quæ & animos accendunt, & mentes illuminant,* (*n*) & igniculos iniiciunt, & veram afferunt consolationem. (*o*) Nunquam quidquam eo consilio legas, vt doctior aut sapientior esse videare: sed vt vitia interimas, operam dato: hoc enim tibi plus proderit, quam multarum difficilium quæstionum notitia.

II. Vbi multa legeris cognoueris-que, ad vnum tandem veniendum erit principium. (*p*) Ego is sum, qui homines sapientiam doceo, & paruulis perspicaciorem intelligentiam concilio, quam a quoquam hominum doceri queat: ita vt *quos alloquar, facile sapientes euadant*, & in spiritu multum proficiant.

III. Væ illis, qui curiosa multa ex hominibus quærunt, & viam mihi ser-

(*m*) 1. *Cor.* 4. *v.* 20. (*n*) *Psl.* 119. *v.* 105. *Ier.* 23. *v.* 29. (*o*) *Ioh.* 6. *v.* 63. (*p*) *Luc.* 10. *v.* 42.

viendi parum curant. Veniet tempus illud, quum existet magister magistrorum Christus, dominus angelorum, qui ab omnibus rationes exigat, (q) omniumque conscientiam examinet: cum quidem Ierosolyma adhibitis lucernis perscrutabitur, (r) fientque manifesta, quæ in tenebris latuerint, (s) tacentibus linguarum argutiis.

IIII. *Ego is sum, qui demissam mentem vno momento sic attollo, vt veritatis æternæ plures capiat rationes, quam quis vel decem annorum studio litterario consequi possit.* Ego doceo sine strepitu verborum, sine turba opinionum, sine fastu ambitionis, sine pugna argumentorum. (t) Ego is sum, qui doceo terrena despicere, præsentia fastidire, æterna quærere & sapere, (u) fugere honores, (x) ferre offensiones,

(q) *Matth.* 25. *v.* 31. (r) *Zeph.* 1. *v.* 12. (s) 1. *Cor.* 4. *v.* 5. (t) *Luc.* 4. *v.* 22. *Matth.* 11. *v.* 29. (u) *Matth.* 6. *v.* 33. (x) *Ioh.* 6. *v.* 15.

nes, (*y*) omnem spem in me ponere, extra me nihil cupere, & me supra omnia ardenter amare. (*z*)

V. Nam *amando me quidam diuina penitus ita didicit, vt mira loqueretur*, plusque omnia relinquendo profecit, quam vlla studiorum subtilitate potuisset.

VI. Sed *aliis communia, aliis singularia eloquor*, nonnullis in signis & figuris suauiter appareo, aliis in multo lumine arcana patefacio. (*a*)

VII. Librorum quidem vna vox est, quæ non omnes æque instruat. (*b*) At *ego intus sum doctor veritatis*, animorum scrutans, (*c*) cogitationum intelligens, actionum promouens, & tantum cuique tribuens, quantum æquum esse iudico.

(*y*) *Matth.* 18. *v.* 21. (*z*) *Matth.* 10. *v.* 37. (*a*) *Matth.* 13. *v.* 11. (*b*) *Ioh.* 5. *v.* 39. (*c*) *Apoc.* 2. *v.* 23.

CAPVT XXXXVIIII.

De non attrahendo ad ſe res exteriores.

NAte, *in multis inſcium te eſſe oportet*, & pro mortuo in terris te ducere, proque eo, cui totus orbis ſit crucifixus. (*d*) *Multa etiam ſurda aure prætereunda ſunt*, & quæ ad pacem tuam pertineant, cogitanda. *Vtilius eſt*, oculos ab iis, quæ diſplicent, auertere, & *ſuam cuique ſententiam relinquere, quam contentioſis ſermonibus ſeruire.* Si cum Deo tibi probe conuenerit, inque eius iudicium intuitus fueris, facilius vinci te ſuſtinebis.

II. SERV. O Domine, quo deuentum eſt? en breue damnum defletur, ob exiguum quæſtum laboratur & curritur, vixque tandem ſub noctem domum reditur, & ſpirituale detrimentum obliuioni traditur. Quod parum,

(*d*) *Gal. 6. v. 14.*

parum, ne dicam nihil prodeſt, (e) huic ſtudetur: & quod ſumme neceſſarium eſt, negligenter præteritur: vſque adeo totus in externa effluit homo, ac niſi cito reſipiſcat, libens in exterioribus iacet.

CAPVT L.

Non omnibus eſſe credendum: itemque de facilitate lapſus verborum.

OPitulare mihi, Domine, in hac calamitate: nam hominum quidem inane eſt præſidium. (f) Quam ſæpe ibi non inueni fidem, vbi fore putaui? rurſumque ibi reperi, vbi minus ſperaſſem? vſque adeo *vana ſpes eſt in hominibus, & in te vno*, Deus, *ſalus eſt poſita iuſtorum.* (g)

II. Agimus tibi gratias, Domine Deus, ob omnia, quæ nobis accidunt

(e) *Luc.* 14. *v.* 18. (f) *Pſ* 60. *v.* 13 (g) *Pſ.* 37. *v.* 39. *Pſ.* 108. *v.* 12.

infirmis & instabilibus, quique facile fallamur & mutemur.

III. *Quis est, qui se omnibus in rebus ita cautum* circumspectumque *præbere queat, vt non aliquando in aliquam* fraudem *difficultatemque veniat?* Sed tibi, Domine, qui confidit, animoque simplici studet, is non ita facile labitur. (*b*) Aut si in aliquam incidit calamitatem, quantacunque tandem difficultate implicetur, cito a te vel inde eripitur, vel consolatione confirmatur, qui eos, quippe qui in te spem habent, ad extremum non deseras. (*i*)

IIII. Equidem *rari sunt fidi amici, qui in omnibus perseuerent rebus aduersis:* tu, Domine, tu solus es fidelissimus in omnibus, neque quisquam tui similis est. (*k*)

V. O quam sapuit sancta illa anima, quæ dixit: Confirmata est mea mens, & in Christo fundata. Si sic mecum

(*b*) *Ps.* 125. *v.* 1. (*i*) *Ps.* 31. *v.* 20. (*k*) *Ps.* 35. *v.* 10.

mecum ageretur, non tam facile me ſolicitaret humanus timor, nec verborum iacula mouerent.

VI. Sed *quis omnia præuidere, quis cauere futura mala queat?* Quod ſi quamuis præuiſa, tamen ſæpe lædunt, quanto feriunt improuiſa grauius? Sed cur mihi miſer non melius proſpexi? aut cur aliis tam facile credidi? Verum *homines ſumus*, & quidem fragiles, *etiamſi a multis angeli exiſtimemur* & dicamur.

VII. Cui vero credam, Domine, cui, niſi tibi, qui ipſa veritas es, (*k*) neque fallis, neque falli potes. Nam homines quidem omnes ſunt mendaces, (*l*) infirmi, inſtabiles, caduci, maxime in verbis, vt non temere protinus credi debeat, quidquid veri ſpeciem præ ſe fert, quo fit, vt prudenter præmonueris, cauendos eſſe homines: & ſuos cuiusque domeſticos eſſe ipſius inimi-

 cos,

(*k*) *Rom.* 3. *v.* 4. (*l*) *Pſ.* 116. *v.* 11.

cos, (*m*) *neque credendum esse dicentibus: hic adest, aut illic adest.* (*n*)

VII. Doctus sum damno meo, atque vtinam cautior inde, non insipientior efficiar. *Cautus esto* (inquit quidam) *cautus esto, & quod dico, tacite habeto.* Deinde tacente me, & illud occultum credente, ipsemet silere non potuit, quod sileri iusserat, sed statim & me & se prodito abiit. Ab huiusmodi fabulis & incautis hominibus tuere me, Domine, ne vnquam in eorum manus incidam, aut talia committam. Suggere ori meo vera stabiliaque dicta, callidamque linguam a me procul amoue. Nam quod mihi fieri nolim, id alteri ne faciam, omnino cauere debeo. (*o*)

VIII. *Quam bona quamque tranquilla res est, de aliis silere, neque omnia nullo discrimine credere*, neque facile plusculum eloqui, paucisque se indicare,

(*m*) *Matth.* 10. *v.* 36. (*n*) *Matth.* 24. *v.* 23. (*o*) *Matth.* 7. *v.* 12.

re, semperque te animorum cognoscentem quærere, neque quouis verborum vento circumferri, sed omnia, tum interiora, tum exteriora arbitrio nutuque tuo cupere perfici. Quam tutum est, ad Dei fauorem retinendum humanum fugere splendorem, nec ea adpetere, quæ sua specie sunt admirationi: sed illa omni diligentia sectari, quæ vitæ correctionem & pietatis ardorem afferunt. (p) *Quam multis nocuit cognita & præpropere laudata virtus? rursum quam profuit eadem silentio seruata in hac fragili vita, quæ tota tentatio fertur & militia.* (q)

CAPVT LI.

De habenda in Deo confidentia, si maledictorum iaculis adpetare.

NAte, *constantem te præbeto, & in me spem sitam habeto.* Quid

 enim

(p) 1. *Tim.* 6 *v.* 11. 2. *Tim.* 2 *v.* 22 (q) *Iob.* 7. *v.* 1.

enim sunt verba nisi verba, quæ per aerem volantia, lapidem non lædant? Si sons es, vide, vt te corrigere velis. Sin nullius tibi peccati conscius es, da operam, vt calumniam in Dei gratiam æquo animo feras, & saltem verba interdum toleres, qui verberum asperitatem tolerare nondum queas.

II. Cur vero tantula animum tuum commouent, nisi quia adhuc carnalis es, & hominum maiorem, quam debes, rationem habes? Nam *quia despici metuis, reprehendi ob delicta non vis, & excusationum quæris vmbracula.*

III. *Sed inspice te diligentius, & cognosces, viuere adhuc in te mundum, & vanum amorem placendi hominibus.* Cum enim ob commissa tua contundi pudefierique refugias, ex eo vtique perspicuum fit, nec vere modestum te, nec vere vel mundo te, vel tibi mundum esse mortuum.

IIII. Sed audi verba mea, & non cura-

curabis vel decem millium hominum verba. En si in te dicerentur, quæcunque vel fingi malitiosissime possunt, quid tibi ea nocerent, si ea ferri sineres, neque pluris, quam festucam penderes? nunquid vel pilum tibi evellerent?

V. Sed *qui & parui animi est, nec Deum habet ob oculos, is facile maledicto mouetur.* Qui vero mihi confidit, nec a suo iudicio pendet, is humano terrore vacat. (r) Ego enim arcanorum omnium iudex sum & cognitor: (*) ego, quo pacto sit acta res, scio: ego & iniurium & iniuriam passum noui, *a me ortum est* istud negotium, *meque permittente accidit,* (s) *vt multorum hominum mentes patefiant.* Ego & de sonte & de insonte iudicabo: sed prius vtrumque occulto iudicio explorare volui.

VI. Hominum testimonium sæpe

 fallit:

(r) *Psl.* 56. *v.* 5. (*) 1. *Cor.* 4. *v.* 5. (s) *Amos* 3. *v.* 6.

fallit : meum iudicium verax est, idemque consistet non euertendum. & latet illud quidem plerumque, atque a paucis penitus perspicitur : sed nunquam vel errat, vel errare potest, etiamsi insipientibus parum æquum esse videatur. Itaque ad me confugiendum est in omni iudicio, nec suo cuique vtendum arbitrio.

VII. *Iustus quidem nullo sibi diuinitus oblato casu perturbatur, (t) neque vel calumnias admodum curat*, vel ob aliorum iustas sui excusationes inaniter exsultat. Perpendit enim, eum esse me, qui corda renesque scruter, *(u)* neque ex adspectu aut humana specie iudicem. Nam *sæpe in oculis meis culpandum reperitur, quod hominum iudicio laudandum est.*

VIII. SERV. Domine Deus, iudex iuste, fortis, patiens, qui hominum fragilitatem prauitatemque nosti, esto robur meum omnisque fiducia. Neque enim

(t) *Prou.* 12. *v.* 21. (u) *Apoc.* 2. *v.* 23.

enim mihi satis est conscientia mea: (x) tu nosti ignota mihi; itaque in omni reprehensione submittere me, eamque molliter ferre debui: quod si quando non præstiti, ignosce mihi propitius, meque iterum hoc beneficio affice, vt me patientiorem deinceps præbeam. Nam *conducibilior est mihi tua singularis misericordia ad veniæ consequutionem, quam meæ iustitiæ opinio ad latentis conscientiæ defensionem.* At licet mihi nullius peccati sim conscius, (y) non tamen idcirco sum absolvendus, quippe cum remota misericordia tua, nullus apud te mortalium sit absoluendus. (z)

CAPVT LII.

Ob æternam vitam omnia grauia esse toleranda.

NAte, noli vel laboribus frangi, quos mea caussa susceperis, vel

(x) 1. *Cor.* 4. *v.* 4. (y) 1. *Cor.* 4. *v.* 4. (z) *Ps.* 143. *v.* 3.

rebus aduersis vsque adeo deiici: quin te mea promissio in omnibus casibus roboret atque consoletur, qui satis idoneus sum ad immensa præmia reddenda. (*a*) Non tu hic diu laborabis, neque semper vexabere doloribus. Exspecta paullisper, & videbis celerem finem malorum, eritque, cum cessabit omnis labor & tumultus. (*b*) *Exiguum & breue est, quidquid tempore finem habet.*

II. Quocirca age, vt agis, labora fideliter in vinea mea, ego ero merces tua. (*c*) Scribe, lege, canta, geme, tace, ora, patere viriliter aduersa, digna est his omnibus & maioribus præliis vita æterna. (*d*) Veniet pax vna die, quæ nota est Domino, & erit non dies aut nox huius scilicet temporis, (*e*) sed lux perpetua, claritas infinita, pax firma, tuta requies. Tunc non dices illud:

(*a*) *Iac.* 1. *v.* 12. *Apoc.* 2. *v.* 10. (*b*) *Apoc.* 21. *v.* 4. (*c*) *Gen.* 15. *v.* 1. *Apoc.* 22. *v.* 12. (*d*) *Rom.* 8. *v.* 18. (*e*) *Zach.* 14. *v.* 7.

illud: Vtinam liberer ex huius mortis corpore! (f) Neque item clamabis: Hei mihi, cui tamdiu sit hic habitandum! (g) Nam *& mors pessundabitur*, (h) *& salus erit nunquam intermoritura*, angor nullus, lætitia beata, societas dulcis & honesta.

III. O si vidisses sanctorum in cælo coronas perpetuas, quantaque nunc quoque gestiant gloria, qui isti mundo olim contemti, vel ipsa vita indigni putabantur: profecto tu te protinus ad terram deiiceres, mallesque vel omnibus parere, quam vel vni imperare, nec istius vitæ lætos dies concupiscere: quin potius Dei caussa aduersis premi gauderes, & nullo loco inter homines haberi, maximum lucrum duceres.

IIII. Quod si tibi hæc arriderent, & altius in animum demitterentur, ne semel quidem conqueri auderes. Scili-

(f) *Rom. 7. v. 24.* (g) *Ps. 120. v. 5.* (h) *Apoc. 21. v. 4.*

Scilicet ob æternam vitam non omnia sint laborioſa toleranda? aut diuinum regnum vel adipiſci vel amittere tantula res eſt?

V. Attolle in cælum oculos, en vna mecum omnes ſancti mei, qui in iſta vita acre certamen obiere, nunc gaudent, nunc conſolationem percipiunt, (*i*) nunc tuti ſunt, nunc requieſcunt, mecum in regno patris mei ſine fine permanſuri. (*k*)

CAPVT LIII.

De æternitatis die, & huius vitæ angoribus.

O Supernæ ciuitatis manſio beatiſſima, o dies æternitatis clariſſima, quam nulla nox obſcurat, ſed ſumma veritas ſemper irradiat: dies ſemper læta, ſemper tuta, ſtatu nunquam in contraria mutando! (*l*) O vti-

(*i*) *Luc.* 16. *v.* 25. (*k*) *Apoc.* 7. *v.* 15. (*l*) *Apoc.* 21. *v.* 4.

O vtinam illuxisset illa dies, & omnia hæc mortalia finem adepta forent. Lucet illa quidem sanctis perpetua claritate splendens, sed non nisi procul ac velut in speculo, (*m*) quippe peregrinantibus in terra. (*n*)

II. Norunt cæliciues, quam læta sit illa: gemunt exules Euæ nati, quod tam amara plenaque molestiarum sit hæc dies huius temporis & parui, & mali, plenique doloribus & angoribus, (*o*) vbi homo tot peccatis inquinatur, tot malis irretitur, tot vrgetur timoribus, tot curis distenditur, tot curiositatibus distrahitur, tot implicatur vanitatibus, tot erroribus circumfunditur, tot laboribus atteritur, premitur tentationibus, eneruatur deliciis, egestate cruciatur.

III. O quando finis erit horum tot laborum? *quando tandem liberabor a misera hac seruitute vitiorum?* quando

(*m*) 1. *Cor.* 13. *v.* 12. (*n*) *Hebr.* 13. *v.* 14. (*o*) *Eccles.* 40. *v.* 1.

quando vnius tui, Domine, memor ero? quando in te plene lætabor? quando omni impedimento carens, vera libertate fruar, sine vlla vel mentis vel corporis molestia? quando erit pax solida, pax imperturbabilis atque tuta, pax intus & foris, pax ex omni parte firma? Iesu bone, quando te coram videbo? quando regni tui gloriam contemplabor? quando eris mihi omnia in omnibus? aut quando tecum degam in regno tuo, quod ab omni æternitate tibi dilectis præparasti? (p)

IIII. Relictus sum inops & exul in hostili solo, vbi quotidiana bella, vbi vigent infortunia maxima. Solare exilium meum, mitiga dolorem, quando ad te summa animi cupiditate anhelo. Nam *ab hoc* quidem *mundo quidquid offertur ad solatium, id mihi est oneri.* Te penitus frui cupio, sed adprehendere nequeo. Opto inhærere cæle-

(p) *Matth.* 25. *v.* 34.

cæleſtibus, ſed deprimunt res temporales, & non interemtæ affectiones. (q) Mente omnia ſuperare volo, ſed carni inuitus ſubiacere cogor. Sic ego infelix homo mecum ipſe pugno, ſumque mihimetipſi grauis, dum ſurſum ſpiritus, deorſum caro tendit.

V. Quantum intus certamen patior, dum mente tracto cæleſtia, & mox oranti occurrit turba carnalium? Mi Deus, noli a me procul diſcedere, (r) neue præ ira tuum me auerſare. Diſſipa fulguris tui ſplendore omnes, quæ ab hoſte iniiciuntur, imaginationes, easque iactis ſagittis diſturba. (s) Recollige ad te ſenſus meos, fac, vt mundanorum omnium obliuiſcar, vtque vitiorum imaginationes cito abiiciam atq; contemnam. Succurre mihi, æterna veritas, vt nulla me moueat vanitas. Adueni, cæleſtis ſuauitas, fugiente adventu tuo omni impuritate.

VI.

(q) *Sap.* 9. *v.* 15. (r) *Pſal.* 71. *v.* 12. (s) *Pſ.* 144. *v.* 6.

VI. Illud quoque mihi misericorditer ignosce & veniam da, quoties in precibus aliud, quam te reuoluo. Etenim vt verum fatear, admodum distrahi soleo, ac sæpenumero ibi non sum, vbi corpore sto aut sedeo: sed potius quo cogitationibus feror. Ibi sum, inquam, vbi mea est cogitatio: vbi mea frequenter versatur cogitatio, ibi est, quod amo: quodque me aut naturaliter delectat, aut ex consuetudine placet, id mihi facile occurrit.

VII. Hanc ob caussam tu veritas aperte dixisti, vbi est thesaurus tuus, ibidem & animus. *(t)* Si cælum amo, cælestia libenter perpendo. Sin mundum amo, mundi rebus secundis gratulor, & eiusdem res aduersas doleo. Si carnem amo, carnalia subinde imaginor: sin spiritum, de spiritualibus cogitare me delectat. Quæcunque enim amo, de iis libenter & loquor & audio, eorumque imagines domum me-

(t) *Matth. 6. v. 21.*

mecum reporto. Enimuero *beatus ille, qui propter te, Domine, humana omnia missa facit, naturæ vim infert, carnisque cupiditates spiritus ardore crucifigit*, vt serenata conscientia, puras tibi preces libet, dignusque sit, qui angelorum cœtibus interfit, omnibus terrenis tum foris, tum intus exclusis.

CAPVT LIIII.

De æternæ vitæ desiderio, & quanta sint certantibus bona promissa.

NAte, quum tibi beatitudinis æternæ desiderium desuper infundi sentis, & ex tabernaculo corporis exire concupiscis, vt claritatem meam sine vicissitudinis vmbra contemplari possis, aperi animum tuum, & sanctum hunc afflatum auidissime accipe.

II. Age summas supernæ bonitati gratias, quæ tecum tam benigne agat, te

te tam clementer inuisat, tam arden-
der excitet, tam valide subleuet, ne tuo-
pte pondere ad terrestria labaris. Ne-
que enim id cogitatione conatuue tuo
consequeris, sed sola dignatione super-
næ gratiæ adspectusque diuini, vt cum
in ceteris virtutibus, tum in primis in
modestia proficias, & ad futura certa-
mina te præpares, operamque des,
vt mihi totis animi viribus adhæreas, ar-
dentique voluntate seruias.

III. Nate, *sæpe ignis ardet, sed flam-
mæ semper comes est fumus.* (u) Sic
& nonnulli desiderio flagrant rerum
cælestium, & tamen a carnalium affe-
ctionum tentatione liberi non sunt, (x)
ideoque non plane ob solam Dei glori-
am ea faciunt, ad quæ ferenda eius
opem tam cupide petunt. Tale est
& tuum sæpe desiderium, cuius tamen
summam esse sinceritatem præ te fers.
Neque enim *purum perfectumque est,
quod priuata commoditate est infectum.*

IIII.

(u) *Eccl.* 22. *v.* 30. (x) *Matth.* 13. *v.* 29.

IIII. Petito, non quod tibi iucundum commodumque, sed quod mihi acceptum sit & glorioſum. Nam ſi recte iudicas, decretum meum & deſiderio tuo & omnibus, quæ deſiderantur, præferre ſe quique debes. Noui deſiderium tuum, frequentesque gemitus audiui. iam velles eſſe in glorioſa libertate natorum Dei: (y) iam te delectat æterna domus, & cæleſtis patria plena gaudio: (z) ſed nondum venit hora illa, quin adhuc aliud tempus eſt, belli videlicet, laboris, & explorationis. Optas ſummo repleri bono: ſed id adſequi nondum tibi licet. *Ego is ſum*, inquit Dominus, *quem exſpectare debes, donec veniat regnum* Dei. Explorandus es adhuc in terris, & in multis exercendus. Concedetur equidem tibi interdum conſolatio, ſed plena ſatietas non item.

V. Quocirca conſtantem te fortemque præbeto tum in agendo, tum in pa-

(y) *Rom.* 8. *v.* 21. (z) *Phil.* 1. *v.* 21.

patiendo naturæ contraria. (*a*) *Oportet te nouum induere hominem, & in alterum virum mutari*, (*b*) sæpeque tibi & facienda sunt, quæ nolis, & omittenda, quæ velis. Aliis sui conatus succedent, tibi non item: aliorum dicta audientur, tua pro nihilo ducentur: alii petentes impetrabunt, tu repulsam patiere: alii hominum ore magni celebrabuntur, de te tacebitur: aliis munia obeunda committentur, tu ad nihil vtilis iudicabere. Has ob causas nonnunquam *dolebit natura tua*, magnumque certamen tolerabit: *sed magnum bonum inde consequeris, si id silentio tuleris.* (*c*) His & huius generis aliis explorari solet fidelis Domini seruus, ecquid seipsum abnegare, & in omnibus frangere queat.

VI. Ac vix quidquam est, in quo mori æque e re tua sit, ac in eo, vt quæ voluntati tuæ aduersentur, ea videas &

(*a*) *Eph.* 4. *v.* 24. (*b*) 1. *Sam.* 10. *v.* 6. (*c*) *Ies.* 30. *v.* 15.

& perpetiaris, maxime dum abſurda & tuo iudicio minus vtilia imperantur: in quibus quia maioris poteſtati, cui ſubiectus es, reſiſtere non audes, fit, vt alterius nutui omiſſa omni tua ſententia obtemperare, durum tibi videatur.

VII. Sed conſidera, nate, quis fructus, quantum præmium, quam brevi labores iſtos ſit ſequuturum, & non ægre feres, ſed *patientiæ ſolatium percipies maximum.* Nam pro breui iſta, quam nunc ſpo te reliqueris, voluntate frueris in cælo perpetua. Ibi quippe quidquid voles, quid optare poteris, inuenies: ibi bonorum omnium copiam nullo amittendi timore habebis: ibi tua voluntas vna mecum nihil vnquam extraneum priuatumque cupiet: ibi nullus tibi reſiſtet, nemo de te conqueretur, nemo te impediet, quin optata vniuerſa præſto aderunt, animique tui cupiditatem cumulatiſſime explebunt. Ibi reddam gloriam

pro tolerata contumelia, laudis amictum pro mœrore, pro infimo loco regiam sedem in sempiternum. (d) Ibi apparebit fructus obedientiæ, gaudebit labor pœnitentiæ, modestaque subiectio glorioſe coronabitur.

VIII. Quamobrem nunc *te omnium imperio modeſte ſubiungito, neque quis dicat, aut iubeat, curato*, ſed illud in primis operam dato, vt ſiue ſuperior aliquis, ſiue æqualis, ſiue etiam inferior aliquid a te poſtulauerit, aut etiam innuerit, omnia boni conſulas, & ſincera voluntate exſequi ſtudeas. Quærant alii alia, glorientur alii in aliis, laudenturque vel ab innumeris: tu non niſi in tui contemtu, & in meo imperio exſequendo, meaque gloria curanda gaudeto, atque *illud vnice optato, vt* ſiue per vitam, ſiue per mortem *Deus in te ſemper honoretur.* (e)

CAP.

(d) *Iſ.* 61. v. 7. (e) *Phil.* 1. v. 20.

CAPVT LV.

Quemadmodum malis preſſus homo ſeſe Deo tradere debeat.

AGO tibi, Deus, ſancte pater, immortales gratias, quod *quæ tu vis* (vis autem nihil niſi bonum) *fiunt*. (*f*) In te læter ego tuus, non vel in me, vel in quoquam alio: nam tu ſolus vera lætitia, tu mea ſpes & corona, tu gaudium honorque meus, Domine: (*g*) denique nihil niſi a te acceptum habeo, idque nullo meo merito: *tua ſunt, quæcunque vel dediſti, vel feciſti*. (*h*)

II. Ego inops, (*i*) & laboribus ab ineunte ætate agitatus animo doleo, idque nonnunquam ita, vt erumpant lacrimæ, vtque ob imminentia mala perturber. *Deſidero pacis gaudium*, pacem natorum tuorum flagito, qui

(*f*) *Pſ.* 115. *v.* 3. (*g*) *Pſ.* 18. *v.* 2. (*h*) 1. *Cor.* 4. *v.* 7. (*i*) *Pſ.* 88. *v.* 16.

consolationis tuæ lumine pascuntur. *Si tu pacem dederis*, si gaudium fuderis, *animum habebo* plenum modulationis, laudesque tuas religiose cantantem. Sin tu te, (vti sæpissime soles) subtraxeris, præceptorum tuorum via currere non potero, sed potius in genua lapsus pectus tundam, quia mecum non sic agetur vt antea, quum lucerna tua mihi desuper illucente, (*k*) sub alarum tuarum vmbra protegerer aduersus irruentia mala.

III. Pater iuste, semperque laudande; venit hora, qua ego tuus explorer. Pater amande, *æquum est, vt hac hora aliquid tua caussa patiar*. Pater perpetuo venerande, venit hora, quam tu ab omni æternitate futuram sciebas, vt ego ad exiguum tempus sic foris succumbam, vt intus semper apud te viuam, vtque paullisper contemnar, deprimar, deficiam coram hominibus, malisque & languoribus affligar, quo de-

(*k*) *Iob. 29. v. 3.*

denuo tecum in aurora nouæ lucis resurgam, & in cæleſtibus illuſtris efficiar. Pater ſancte, tu ſic ſtatuiſti, ſic voluiſti, quodque fieri præcepiſti, id factum eſt.

IIII. Hoc enim beneficii a te confertur in amicum tuum, vt amore tui malis afficiatur in hac vita, quoties, & a quo, & quomodo tu fieri permiſeris. Nam *nec ſine conſilio prouidentiaque tua, nec ſine cauſſa quidquam fit in terris.* Et quidem e re mea eſt, Domine, quod me depreſſiſti, vt inſtituta tua diſcam, (*l*) & omnem animi faſtum atque arrogantiam abiiciam. Mihi vtile eſt, pudore fuiſſe ſuffuſum, vt a te potius, quam ab hominibus conſolationem petam. Neque non ex eo imperueſtigabile iudicium tuum expaveſcere didici, qui iuſtos vna cum impiis affligas, ſed non ſine æquitate & iuſtitia.

V. *Ago tibi gratias, qui me malis*

(*l*) *Pſ.* 119. *v.* 71.

afficere nihil peperceris, sed acerbos cruciatus, dolores, angores foris intusque mihi inflixeris. In quibus, qui me consoletur, ex omnibus, qui sub cælo sunt, nullus est, sed *tu solus is es*, mi Domine & Deus, *cælestis animarum medicus, qui & vulneras & sanas, qui ad inferos deducis & idem reducis.* (m)

VI. Tua me correctio petit, tua virga docet: en ego me, pater carissime, correctionis tuæ virgæ subiicio: feri dorsum ceruicemque meam, vt prauitatem meam sub tuam voluntatem flectam: fac me pium modestumque discipulum, sicuti probe facere consueuisti, vt tibi ad nutum plane obtemperem. *Tibi me, meaque omnia ad corrigendum commendo, quando hic, quam in posterum corrigi præstat.*

VII. Vniuersa tu & singula scis, neque te quidquam latet in humana conscientia. Tu futura, antequam fiant, no-

(m) 1. *Sam.* 2. *v.* 6.

noſti, neque eſt, quod te de iis, quæ in terris geruntur, doceat, aut admoneat quisquam. (*n*) Tu ſcis, quid mihi ad proficiendum conducat, quantumque proſint res aduerſæ ad vitiorum quaſi rubiginem abſtergendam. Vtere ergo me iudicio arbitrioq. tuo, neue me ob nocentem vitam meam nulli melius aut clarius, immo nulli prorſus niſi tibi vni notam deſpicito.

VIII. Da mihi, Domine, ſcire, quæ ſcienda ſunt; amare, quæ amanda; laudare, quæ tibi ſumme placent; ſuſpicere, quæ tuo iudicio pretioſa ſunt, & vituperare, quæ oculis tuis ſordent. *Noli committere, vt ego vel ex* exteriorum *oculorum adſpectu iudicem, vel ex* imperitarum aurium *auditu ſententiam feram:* (*o*) *ſed* vero iudicio tum viſibilia, tum ſpiritualia diſcernam, (*p*)

(*n*) *Rom.* 11. *v.* 34. (*o*) *Iac.* 2. *v.* 2. (*p*) 1. *Cor.* 2. *v.* 13.

& ante omnia *tuæ voluntatis arbitrium semper exquiram.*

VIIII. Falluntur sæpe hominum sensus in iudicando, falluntur & huius amatores seculi tantum visibilia amando. (*q*) Numquid tanto melior est homo, quanto homini maior habetur? (*r*) fallax fallacem, vanus vanum, cæcum cæcus, infirmum infirmus decipit, dum extollit, vereque probro afficit, dum inaniter laudat. Nam *quantus quisque tuo iudicio est*, tantus re vera, ac non maior est, vt rite dixit quidam.

CAPVT LVI.

Humilibus operibus insistendum esse, quum deficitur a summis.

NAte, *non potes perpetuo in ardentissimo virtutum studio, summoque res diuinas contemplandi gra-*

(*q*) 1. *Cor.* 7. *v.* 31. 1. *Ioh.* 2. *v.* 17. (*r*) *Luc.* 16. *v.* 15.

gradu consistere, quin necesse est ob originalem corruptionem, vt interdum ad inferiora descendas, & vitæ mortalis onus etiam inuitus & cum tædio feras.

II. *Quamdiu mortale corpus circumferes, corporis tædium grauitatemque senties.* (*s*) Itaque sæpe tibi in carne de carnis onere gemendum est, (*t*) quod spiritualibus studiis & diuinæ contemplationi sine intermissione inhærere non potes.

III. *Hic tibi ad humilia & exteriora opera confugere expedit, teque in bonis actionibus recreare,* & dum ego superne ad te visendum veniam, *firma cum confidentia exspectare,* exiliumq. tuum & mentis ieiunitatem patienter ferre, donec iterum a me inuisaris, & ab omnibus angoribus libereris. Nam faciam te laborum obliuiſci, & interiore quiete perfrui. Aperiam tibi diuinarum litterarum campum, vt gestienti ani-

(*s*) *Sap.* 9. *v.* 15. (*t*) *Rom.* 7 *v.* 24.

animo percurrere incipias viam præceptorum meorum, atque ita dicas: (u) *Non sunt conferendæ temporis hujus calamitates cum futura gloria nobis exhibenda.*

CAPVT LVII.

Debere hominem non consolatione, sed verberibus dignum se existimare.

DOmine, non sum consolatione, aut vlla spirituali cura tua dignus: itaque æquum te mihi præbes, dum inopem me & consolationis expertem relinquis. Nam *etiamsi mare lacrimarum funderem, nec sic quidem consolatione tua dignus essem*: quin non nisi flagris pœnisque dignus sum, *qui te tam grauiter tam sæpe offenderim*, inque tam multis tantopere deliquerim. Itaque si res rite perpendatur, ne tantula quidem consolatione dignus sum.

(u) *Rom.* 8. *v.* 18.

sum. *Et tamen* tu clemens & misericors Deus, *qui opera tua perire non vis*, ad exserendas tuæ bonitatis opes in vasa misericordiæ tuæ, *dignaris me* nullo meo merito supra humanum modum *consolari*. *Neque* enim *humanarum confabulationum similes sunt tuæ consolationes*. (x)

II. Quid vero feci, vt me vlla cælesti consolatione prosequereris? Equidem nihil me boni feciſſe, recolo, sed semper & ad peccata pronum, & ad correctionem pigrum fuiſſe. Id quidem adeo verum est, vt si negem, tu refellas, neque me possit quisquam defendere. Quid peccatis meis merui, nisi orcum & ignem æternum? Equidem vere confiteor, dignum esse me omni ludibrio atque contemtu, neque decere, vt inter religiosos tuos degam. Equidem ægre adducor, vt faciam: sed quia verum est, faciam, vt *mea ipse pec-*

(x) 2. Cor. 1. v. 3.

peccata arguam, quo facilius misericordiam tuam impetrem.

III. Quid vero dicam nocens ego, & omni probro plenus? Equidem nihil habeo, quod eloquar, nisi hoc vnum: *Peccaui*, Domine, *peccaui, miserere mei*, ignosce mihi, sine, vt calamitatem meam paullisper deplorem, antequam in tenebrosam & opertam mortis caligine terram migrem. *(y)*

IIII. Quid tu vero a fonte miseroque homine aliud exigis, quam vt sese ob delicta sua afflictet atque deprimat? *(z)* Nam in vera sui afflictatione, animique depressione, nascitur spes veniæ, reconciliatur Deo perturbata conscientia, recuperatur Dei fauor amissus, defenditur homo ab ira futura, *(a)* sibique mutuo occurrunt cum sancto osculo Deus, & pœnitentiam agens hominis anima. *(b)*

V.

(y) *Iob.* 10. *v* 20. (z) *Ezech.* 18 *v.* 12. (a) *Matth.* 3. *v.* 7. (b) *Luc.* 7. *v.* 38.

V. Submissus, inquam, nocentis hominis peccatorum dolor, sacrificium est tibi, Domine, acceptum, (c) longeque suauius fragrans, quam thuris suffitus.. Idem iucundum illud vnguentum est, quo sacros pedes tuos perfundi voluisti, (d) qui afflictum depressumq. hominis animum nunquam adspernaris. (e) Hic locus est perfugii adversus hostis iram : hic corrigitur & abluitur, quidquid aliunde deprauatum est & inquinatum.

CAPVT LVIII.

Dei fauorem cum iis, quorum mens terrestris est, nihil habere negotii.

NAte, *pretiosior est fauor meus, quam vt* se rebus extraneis, *terrenisque consolationibus admisceri patiatur.* Itaque quidquid ei im-

(c) *Ps.* 51. *v.* 19. (d) *Luc.* 7. *v.* 38. (e) *Ps.* 51. *v.* 19.

pedimento est, abiicias oportet, si te eo perfundi cupis.

II. Quære secessum, ama solus habitare tecum, *nullius require confabulationem, sed potius religiosas ad Deum funde preces*, (f) vt & tua mens exstimuletur, & animus bene sibi conscius sit. *Totum orbem nihili facito*, Deique vacatum omnibus exterioribus anteponito. Neque enim simul & mihi vacare, & pereuntibus delectari potes. (g) A notis & caris amicis discedendum est, & *ab omni mortali solatio auocandus animus*: sic Christi discipulos admonet Petrus, (h) vt se in hoc mundo pro aduenis gerant & peregrinis.

III. *O quanta futura est morituro fiducia, quem nullius rei cupido in mundo detinet!* (i) Verum sic ab omnibus semotum habere animum, hominis

(f) *Psal.* 4. *v.* 5. *Matth.* 6. *v.* 6. (g) *Matth.* 6. *v.* 24. (h) 1. *Pet.* 2. *v.* 11. (i) *Phil.* 1. *v.* 23.

nis est non ægri, neque nouit interioris hominis libertatem animalis homo. (k) Enimuero si spiritualem se fieri vult, renuntiet oportet tum remotis, tum propinquis, (l) *sibique a nemine magis, quam a seipso, caueat.*

IIII. Si teipsum perfecte viceris, cetera facilius subegeris: nam *de seipso triumphare, perfecta victoria est.* (m) Qui enim se sibi sic subiectum habet, vt & adpetitus rationi, & ratio mihi in cunctis obediat, hic vere & sui victor, & mundi dominus est.

V. Ad quod quidem fastigium si scandere cupis, viriliter incipiendum est, & securis admouenda radici, vt tum tui, tum omnis priuati carnalisque boni occultum intemperansque studium excidas & exstirpes. Nam *ex hoc vno hominis intemperantiore amore sui pendet, quidquid fere homini radicitus exstirpandum est*, quo malo de-

(k) 1. Cor. 2. v. 14. (l) Matth. 10. v. 37. (m) Prou. 16. v. 32.

victo & subacto, magna pax, perpetuaque tranquillitas subsequetur.

VI. Sed *quia pauci sibimetipsis perfecte mori*, & ex sei sis plene exire *conentur, fit, vt pleri* in seipsis implici ti remaneant, neq e *supra se spiritu euehi queant.*

VII. Qui vero mecum libere versari cupit, necesse est, vt is prauas & intemperatas affectiones suas omnes interimat, neque vlli creatæ rei priuato amore cupide inhæreat. *(n)*

CAPVT LVIIII.

De naturæ & gratiæ motibus diversis.

NAte, *naturæ & gratiæ motus diligenter aduerte:* nam ita subtili & inter se contrario modo mouentur, vt nisi a spirituali & penitus illuminato homine vix discerni queant. (o) Omnes

(n) *Luc.* 9. *v.* 23. *Gal.* 5. *v.* 24. (o) 1. *Cor.* 2. *v.* 14.

Omnes quidem bonum adpetunt, inque ſuis dictis factisque boni aliquid præ ſe ferunt, ideoque boni ſpecie multi falluntur.

II. *Natura callida eſt*, & multos trahit, illaqueat, decipit, ſemperque ſe finem actionum eſſe vult. *At gratia ſimpliciter ſe gerit*, & omne mali genus declinat: fallaciam nullam adhibet, omniaque plane propter Deum facit, in eoque ad extremum requieſcit.

III. *Natura mori*, premi, ſuperari, parere, ſubiici *recuſat*. *Gratia ſui interfectioni ſtudet*: adpetitui reſiſtit, ſubiici vincique cupit, neque ſua libertate vult: vti ſub magiſterio haberi amat, neque in quenquam dominari cupit, ſed ſub Deo ſemper viuere, degere, eſſe, Deique cauſſa omnibus rebus humanis ſubmiſſe ſubiici parata eſt.

IIII. *Natura ſuo commodo ſtudet*, & quid ſibi lucri ex altero proueniat, attendit: *at gratia*, non quid ſibi vtile

sit & commodum, sed *quid multis prosit, magis considerat.* (p)

V. *Natura* honore & gloria libenter afficitur: at *gratia* Deo honorem omnem gloriamque tribuit. (q)

VI. *Natura* probrum contemtumque timet: at *gratia* ob Christi nomen contumelia se affici gaudet. (r)

VII. *Natura* otium quietemque corporis amat: *gratia* otiari nescia, laborem libenter amplectitur. (s)

VIII. *Natura* curiosa pulchraque ambit, & a vilibus crassisque abhorret: *gratia* simplicibus humilibusque delectatur, aspera non adspernatur, nec ab induendo obsoletos pannos refugit.

VIIII. *Natura* peritura intuetur, terrenis lucris gaudet, dolet damno, & quouis contumelioso verbo irritatur: at *gratia* æternorum rationem habet,

(p) 1. *Cor.* 9. *v.* 19. *c.* 10. *v.* 24. (q) 1. *Cor.* 10. *v.* 31. *Col.* 3. *v.* 17. (r) *Act.* 5. *v.* 41. (s) 2. *Cor.* 11. *v.* 23.

habet, perituris non inhæret, iactura non turbatur, neque verbis durioribus exacerbatur: quippe quæ sibi in cælo, vbi nihil perit, (t) thesaurum collocauerit.

X. *Natura* cupida est, & libentius accipit, quam donat, priuati commodi amans: at *gratia* benigna est & liberalis, priuati commodi fugiens, paucis contenta, dare, quam accipere, beatius iudicans. (u)

XI. *Natura* ad res conditas, ad carnem, ad vanitatem, ad vagationes procliuis est: at *gratia* ad Deum & virtutes allicit, valedicit rebus conditis, fugit mundum, carnis cupiditates odit, (x) vagationes cohibet, & in publico apparere erubescit. (y)

XII. *Natura* externa solatia ambit, quorum illecebris permulceatur: at *gratia* in solo Deo quærit solatium,

(t) *Luc.* 12. *v.* 33. (u) *Actor.* 20. *v.* 35. (x) *Gal.* 5. *v.* 24. (y) *Matth.* 6. *v.* 1.

ſummoque bono ſupra omnia viſibilia ſeſe oblectat.

XIII. *Natura* omnia priuati lucri commodique cauſſa, nihil gratis facit, ſemperque aut par, aut maius præmium, aut laudem fauoremue pro benefactis ſperat, ſuaque facta & dona magni pendi cupit. (*z*) At *gratia* nihil mortale quærit, nec aliam quam Deum ſolum ſibi mercedem poſtulat, neque rerum ad vitam hanc neceſſariarum plus adpetit, quam quantum ad æternam conſequendam neceſſarium eſt. (*a*)

XIIII. *Natura* amicorum propinquorumque multitudine gaudet, nobilitate generisque ſui natalibus gloriatur, arridet potentibus, blanditur diuitibus, adplaudit ſui ſimilibus: at *gratia* & inimicos amat, (*b*) nec amicorum turba ſuperbit, (*c*) nec natalivm

(*z*) *Matth.* 6. *v.* 1. *Luc.* 14. *v.* 12. (*a*) *Matth.* 6. *v.* 31. 1. *Tim.* 6. *v.* 6. (*b*) *Matth.* 5. *v.* 44. (*c*) *Luc.* 14. *v.* 12.

vm locum ortumue ſuſpicit, niſi forte maior ibi virtus exſtitit. Eadem pauperi magis quam diuiti fauet, innocentis quam potentis vicem magis dolet, veraci non fallaci gratulatur, bonos ſemper exhortatur ad optima quæque bona maxime ſectanda, (*d*) Deique filium virtutibus effingendum.

XV. *Natura* de egeſtate inopiaque facile conqueritur: *gratia* inopiam fert conſtanter. (*e*)

XVI. *Natura* ad ſe omnia refert, proque ſe certat & contendit: at *gratia* ad Deum, vnde originem ducit, omnia refert, ſibi nihil boni adſcribit, (*f*) non arrogans, non contentioſa eſt, nec ſuam ſententiam aliis præfert, (*g*) ſed in omni veri indagatione diuinæ ſapientiæ iudicioque ſeſe ſubmittit.

XVII. *Natura* ſcire auet, & noua

(*d*) 1 *Cor.* 12. *v.* 31. (*e*) *Phil.* 4. *v.* 12. (*f*) 1. *Cor.* 4 *v.* 7. (*g*) 1. *Cor.* 13. *v.* 4.

audire mysteria: ostentatrix sui, & multa sensibus experiendi cupida: cognosci cupit, & ea facere, vnde laudem admirationemque consequatur. At *gratia* nouis curiosisq. rebus percipiendis operam non impendit, quippe cum illud totum ex antiqua illa labe ortum habeat, cum nihil nouum sit in terris durabile. Itaque hominem docet cohibere vanam delectationem, ab ostentatione abstinere, laudanda & pro sua dignitate admiranda modeste occultare, & ex omni re atque scientia vtilitatis fructum Deique laudem & honorem quærere. (*h*) Non se neque sua vult prædicari, sed Deo ob dona sua gratias agi cupit, qui mera caritate omnia largiatur.

XVIII. *Hæc gratia* lumen est supra naturam positum, & Dei donum quoddam singulare, ac proprie *electorum nota & pignus salutis æternæ*, quod hominem de terrestribus ad cæ-

lestia

(*h*) 1. *Cor.* 10. *v.* 31.

lestia amanda euehit, & ex carnali spiritualem efficit. (i) Itaque *quanto natura acrius premitur* & vincitur, *tanto maior gratia infunditur*, & interior homo nouis dotibus secundum Dei imaginem quotidie reformatur. (k)

CAPVT LX.

De naturæ corruptione, & diuinæ gratiæ viribus.

DOmine mi Deus, qui me tui similem ad imaginem tui creasti, *concede mihi beneficium illud* (quod quidem mihi tam necessarium, tantique ad salutem momenti esse ostendisti) (l) *vt vincam naturam meam*, ita prauam, vt me ad peccata interitumque trahat. *Sentio enim in carne mea legem peccati, quæ legi mentis meæ repugnet,* (m) neque adpetitui in mul-

(i) *Rom.* 8. *v.* 9. (k) 2. *Cor.* 4. *v.* 16. (l) *Luc.* 9. *v.* 23. (m) *Rom.* 7. *v.* 23.

tis obedire cogat, ita vt eius insultibus resistere nequeam, nisi mihi opituletur tua illa sanctissima gratia, animo meo ardenter infusa.

II. Opus est, inquam, tua gratia, & quidem magna, vt vincatur natura, semper ad malum ab ineunte ætate prona. *(n)* Nam primi hominis vitio lapsa vitiataque per peccatum natura, manauit huius labis pœna in omnes homines, *(o)* vt *ipsa natura*, quæ bona & recta a te condita fuerat, *(p)* *pro vitio iam* & infirmitate corruptæ naturæ *dicatur*, quia relictus ei motus ad malum & inferiora trahit. Nam *quod ad exiguam illam vim attinet, quæ in ea remansit, ea est tanquam scintilla quædam latens in cinere.*

III. Hæc est ipsa *ratio naturalis*, atra caligine circumfusa, sic tamen, vt adhuc boni malique, & veri falsique iudicium ac discrimen habeat, tametsi nec

(n) *Gen.* 8. *v.* 21. (o) *Rom.* 5. *v.* 12. (p) *Coh.* 7. *v.* 30.

nec quidquid adprobat, præstare potest, nec pleno iam lumine veritatis, nec sanitate affectionum suarum potitur.

III. Hinc fit, mi Deus, vt lege tua, quod ad interiorem hominem attinet, delecter, (q) sciens præcepta tua esse bona, iusta, sancta, & quæ omne malum ac peccatum arguant, fugiendumque doceant. Sed carne seruio legi peccati,(r)dum adpetitui magis quam rationi obedio. Hinc fit, vt *adsit quidem mihi voluntas: sed præstandi facultatem non inuenio.* Hinc sæpe multa bene facere statuo: sed quia deest diuinus fauor, qui infirmitatem meam adiuuet, fit, vt vel ob leuem repugnantiam resiliam ac defetiscar. Hinc fit, vt perfectionis viam agnoscam equidem, & quid sit officii mei, satis perspicue videam: sed meæ labis ponderе pressus ad perfectiora non assurgam.

V. *O quam mihi necessaria est*, Do-

(q) *Rom. 7. v. 22.* (r) *Rom. 7. v. 18.*

mine, *tua gratia*, tum ad inchoandum bonum, tum ad progrediendum atque perficiendum. (*s*) Nam neque sine ea quidquam possum, & eadem me confirmante, omnia in te possum. (*ſ*) O vere cælestis gratia, sine qua nulla hominis merita, nulla naturæ dona vllo in pretio sunt habenda. Nihil artes, nihil diuitiæ, nihil pulchritudo, aut fortitudo, nihil ingenium aut eloquentia apud te momenti habent, Domine, sine gratia. Nam naturæ quidem dona bonis cum malis sunt communia: at *gratia donum est electorum proprium*, qua præditi æterna vita digni habentur. Denique tanti est, vt sine ea nec vaticinandi donum, nec miraculorum effectio, nec abstrusissima rerum arcanarum perspicientia, vllius sit pretii: (*t*) quin neque fides, neque spes, neque virtutes ceteræ tibi sine caritate & gratia acceptæ sunt.

VI.

(*s*) *Phil.* 2. *v.* 13. (*ſ*) *Phil.* 4. *v.* 13.
(*t*) 1. *Cor.* 13. *v.* 1.

VI. O beata gratia, quæ *spiritu pauperem, virtutibus diuitem facis*: eademq. *bonis diuitem reddis animo submissum.* Veni, descende ad me, reple me mane consolatione tua, ne me præ mentis lassitudine ac ieiunitate deficiat animus. Quæso te, Domine, dignare me tua gratia: ea enim mihi satis est, quamuis ceteris, quæ natura cupit, non impetratis.

VII. Ea, inquam, mihi si adsit, nullius tentationis, nullius calamitatis malum metuam. *Hæc mihi fortitudo est:* hæc consilium affert & auxilium: hæc eadem vniuersis & hostibus potentior, & sapientibus sapientior est. Magistra est veritatis, doctrix disciplinæ, lumen animi, angorum solamen, tristitiæ fugatrix, timoris sublatrix, nutrix religionis, parens lacrimarum. Denique sine ea quid ego sum, nisi aridum lignum, & stirps inutilis atque abiicienda? (*u*) Hæc igitur tua gratia, Domine, *me semper & antecedat & sequatur,*

(*u*) *Ioh. 15. v. 5.*

tur, efficiatque, vt recte factis perpetuo incumbam, per Iesum Christum filium tuum. Amen.

CAPVT LXI.

Nos ipsos abnegare, Christumque per crucem imitari debemus.

NAte, *quantum a teipso discesseris, tantum ad me transieris.* (x) Quemadmodum nihil foris concupiscere interiorem pacem parit, sic seipsum interius relinquere, hominem Deo coniungit. Volo te discere perfectam abnegationem tui in voluntate mea, sine vlla contradictione & querela. *Sequere me:* (y) *ego sum via, veritas & vita.* (z) Sine via non ambulatur, sine veritate nescitur, sine vita non viuitur. Ego sum via, qua incedere, veritas, cui credere, vita, quam sperare debes. Ego sum via inuiolabi-

(x) *Matth.* 16. *v.* 24. (y) *Matth.* 19. *v.* 21. (z) *Ioh.* 14. *v.* 6.

bilis, veritas nunquam fallens, vita infinita. Ego sum via rectissima, veritas suprema, vita vera, beata, increata. In via mea si perseueraueris, veritatem cognosces, teque veritas ita liberabit, vt æternam vitam consequare. (*a*)

II. Vitam si vis adipisci, præceptis obedito. Veritatem si nosse vis, mihi credito. Perfectus fieri si vis, omnia vendito. (*b*) Meus discipulus esse si vis, teipsum abnegato. (*c*) Beatam vitam consequi si vis, præsentem vitam contemnito. (*d*) In cælo si vis extolli, in terris teipsum deprimito. (*e*) Mecum regnare si vis, mecum crucem portato. (*f*) *Soli* enim *crucis serui beatitudinis*, veræque lucis *viam inueniunt*. (*g*)

III. SERV. Domine Iesu Christe, quandoquidem arcta mundoque inuisa est,

(*a*) *Ioh.* 8. *v.* 32. (*b*) *Matth.* 19. *v.* 21. (*c*) *Luc.* 9. *v.* 23. (*d*) *Ioh.* 12. *v.* 25. (*e*) *Luc.* 18. *v.* 14. (*f*) 2. *Tim.* 2. *v.* 11. (*g*) *Act.* 14. *v.* 22. *Rom.* 8. *v.* 17.

est via tua, (*h*) fac, vt ego tecum mundum despiciam. Neque enim maior est domino seruus, neque magistro superior discipulus. (*i*) Exerceatur seruus tuus in via tua, postquam ibi mihi salus est, veraque sanctitas. Extra eam quidquid ego vel lego vel audio, id me plane non recreat aut delectat.

IIII. DOM. Nate, postquam ista omnia & legisti, & scis, beatus eris, ea si præstiteris. (*k*) *Præcepta mea qui & tenet & exsequitur, is me amat, & ego vicissim eum amabo, meque ei patefaciam,* (*l*) *efficiamque, vt mecum sedeat in regno patris mei.*

V. SERV. Domine, effice igitur, vt ista mihi contingant, quæ tu dixisti & promisisti. Crucem ego de manu tua accepi: eam ad mortem vsque perferam, quemadmodum tu mihi iniunxisti. Certe *veri Christiani vita crux est: sed hac via itur in paradisum:* retro-

(*h*) *Matth.* 7. *v.* 14. (*i*) *Matth.* 10. *v.* 24. (*k*) *Ioh.* 13. *v.* 17. (*l*) *Ioh.* 14. *v.* 21.

trocedere, aut cœpto desistere non licet. (*m*)

VI. Eia, fratres, pergamus vna, aderit nobis Iesus. propter Iesum crucem hanc suscepimus, propter Iesum in cruce perseueremus. Erit nobis idem adiutor, qui & dux est, & anteit. En! ante nos ingreditur rex noster, pro nobis pugnaturus. (*n*) Sequamur viriliter, nemo terrore percellatur: simus parati fortiter in bello mori: neue a cruce refugiendo, gloriæ nostræ maculam inuramus.

CAPVT LXII.

Ne nimium deiiciatur homo, si quando in aliquod delictum lapsus est.

NAte, *magis mihi placet patientia, animique submissio in rebus adversis, quam multum solatium & religio in secundis.*

II. *Cur*

(*m*) *Luc.* 9. *v.* 62. (*n*) *Hebr.* 12. *v.* 2.

II. *Cur* tantula *re contra te dicta cruciaris?* quæ etiamsi maior esset, commoueri non deberes. Noli istud curare: nec primum, nec nouum est, nec vltimum erit, si diutius vixeris. (*o*)

III. Satis tu virilis es, quamdiu nihil occurrit aduersi: bene etiam consulis ceteris, eosque verbis confirmare nosti: sed cum tibi pro foribus adest repentina calamitas, & consilio & fortitudine deficeris. (*p*)

IIII. Animaduerte, quanta sit tua fragilitas, quam sæpius experiris in paruis casibus. Atqui & ista & cetera ista similia tibi salutaria sunt. (*q*)

V. Abiice ista ex animo tuo, sicuti faciendum esse nosti: quod *si te tangunt, da operam, ne vel deiiciant, vel diu distineant:* eaque si cum gaudio non potes, saltem patienter ferto. Quod si talia minus libenter audis, *indignationemque sentis, reprime te,* neve

(*o*) *Hebr.* 12. *v.* 3. (*p*) *Matth.* 26. *v.* 33. (*q*) *Rom.* 8. *v.* 28.

ve aliquid ex ore tuo prodire patere, vnde paruuli offendantur. Ita fiet, vt & mox ſedetur iſta commotio, & animi dolor reuerſo Dei fauore dulceſcat. *Viuo adhuc ego*, inquit Dominus, *adiuuare te paratus, & plus ſolito conſolari, ſi me confiſus religioſe inuocaueris.* (r)

VI. Eſto æquiore animo, & ad maiorem tolerantiam accingere. (s) *Non* ideo *deſpondendum eſt, ſi te ſæpius affligi*, grauiterque tentari vides. (t) Homo es, non Deus: caro, non angelus. Tune poſſis ſemper in eodem virtutis ſtatu manere? cum id & angelo in cælo, & primo homini in paradiſo defuerit, quippe qui non diu conſtiterint. *Ego is ſum, qui & mœrentes erigam ſoſpitate, & eos, qui ſuam infirmitatem agnoſcant, ad meam eueham dignitatem.*

VII. SERV. Domine, ago tuis dictis

(r) *Pſ.* 50. *v.* 15. *Pſ.* 91. *v.* 14. (s) *Pſ.* 31. *v.* 25. (t) 1. *Cor.* 10. *v.* 13.

ctis gratias, mihi melle mellisque favo dulcioribus. (*u*) Quid facerem in tantis calamitatibus & angoribus, nisi tu me sancta ista oratione confirmares? (*x*) *Dummodo tandem ad portum salutis perueniam, quid refert, quæ & quanta patiar?* Da finem bonum: da felicem ex hac vita discessum: memento mei, mi Deus, meque recta via in regnum tuum dirige. Amen.

CAPVT LXIII.

De altioribus rebus, occultisque Dei iudiciis non scrutandis.

NAte, *de arduis rebus, occultisque Dei iudiciis caueto, ne disputes,* cur hic ita derelinquatur, ille tanto fauore augeatur: hic vsque adeo crucietur, ille extollatur. (*y*) *Ista huma-*

(*u*) *Ps.* 19. *v.* 11. (*x*) *Ps.* 119. *v.* 92. (*y*) *Prou.* 25. *v.* 27. *Rom.* 11. *v.* 33.

humanum captum excedunt, nec ad perueſtigandum diuinum conſilium vlla ratio aut diſputatio ſatis eſt idonea. Igitur ſi quando iſta tibi ſuggerit hoſtis, aut etiam curioſi quidam ſciſcitantur homines, *reſpondeto* illud vatis: (z) *Iuſtus es, Domine, rectumque eſt tuum iudicium.* Itemque illud: (a) *Iudicia Domini vera, & æquitate apta ſunt.* metuenda ſunt, non diſcutienda mea iudicia, vtpote quæ humanum captum excedant.

II. Ne de ſanctorum quidem meritis quærere aut *diſputare velis, quis ceteris ſanctior aut in cæleſti regno maior fuerit.* Hæc enim ſæpe lites & contentiones gignunt inutiles: ſuperbiam quoque & ambitionem alunt, vnde inuidiæ & diſſenſiones oriuntur, dum alius alium ceteris ſanctiorem eſſe ſuperbe contendit. Harum rerum diſcendarum cupiditas & inueſtigatio nullum fructum affert: quinimmo ſanctis

(z) *Pſ.* 119. *v.* 137. (a) *Pſ.* 18. *v.* 10.

ctis displicet. Neque enim dissensionis ego, sed pacis Deus sum, (*b*) quæ pax in vera modestia, non in arrogantia sita est.

III. Nonnulli caritatis studio in hos, quam in illos sunt propensiores: sed id humano potius, quam diuino affectu faciunt. (*c*) *Ego is sum, qui sanctos omnes condidi, qui eosdem dotaui, gloriaque affeci:* ego singulorum merita noui, ego illos suauissimis muneribus prouocaui: ego amandos ante omnem æui seriem præsciui: (*d*) ego eos ex mundo, non ipsi me elegerunt: (*e*) ego meo fauore vocaui, misericordia attraxi: (*f*) ego eos per varias tentationes perduxi, præclarisque consolationibus perfudi: (*g*) ego eis perseuerantiam dedi, (*h*) eorumque patientiam coronaui: ego & primum & nouissimum noui: ego omnes in

c

(*b*) 1. *Cor.* 14. *v.* 33. (*c*) 1. *Cor.* 3. *v.* 4. *Rom.* 8. *v.* 29. (*e*) *Ioh.* 15. *v.* 16. (*f*) *Ier.* 3 *v.* 3. (*g*) 2. *Cor.* 1. *v.* 3. (*h*) *Phil.* 1. *v.* 29.

credibili amore complector: ego in omnibus sanctis meis laudandus, & in singulis supra omnia celebrandus atque honorandus, quos a me destinatos tam glorioſe euexerim, (*i*) nullis eorum meritis antegressis.

IIII. Itaque qui vel minimum meorum contemnit, (*k*) is ne magnum quidem honorat, quippe cum paruos æque ac magnos ego idem fecerim, vt, *qui vlli sanctorum derogat, idem & mihi & omnibus cælestis regni consortibus deroget.* Omnes enim vnum sunt caritatis vinculo, idem sentientes, idem volentes, simulque omnes mutuo se amore prosequentes.

V. Quinimmo (quod multo altius est) plus me quam se suaque merita diligunt: nam *supra se rapti, & extra sui amorem tracti, toti in amorem mei pergunt, inque eius fruitione conquiescunt*, ita vt nihil eos auertere aut deprimere queat, quippe qui æterna ve-

S rita-

(*i*) *Epheſ.* 2. *v* 8. (*k*) *Matth.* 18. *v.* 10.

ritate pleni, igne ardeant caritatis inexstinctæ.

VI. Desinant igitur carnales & animales homines de sanctorum statu disserere, qui non nisi priuata gaudia diligere sciunt. Multi adhuc naturali affectu, & humano amore in hos aut illos trahuntur, ac quomodo in inferioribus animati sunt; ita & de cælestibus imaginantur. Enimuero dici non potest, quanto inter sese distent discrimine, quæ imperfecti cogitant, & quæ diuinitus illuminati homines desuper sibi patefacta speculantur.

VII. Quamobrem caue, nate, ne ea curiosius tractes, quæ ingenii tui captum excedunt: sed *in id potius incumbe, vt vel minimus in regno Dei inveniaris.* Iam vero si quis sciret, quinam in regno cælesti ceteris sanctiores aut maiores habeantur, quid ei prodesset eius rei notitia, nisi se mihi tanto magis submitteret, & in maiorem nominis mei laudem exsurgeret? *Multo*

acce-

acceptiorem rem Deo facit, qui de suorum peccatorum magnitudine, virtutumque exiguitate *cogitat*, ac quam longe a sanctorum perfectione distet, *quam qui de sanctorum magnitudine aut paruitate disputat.*

VIII. Non gloriantur illi de suis meritis, quippe qui sibi nihil bonitatis adscribunt, sed mihi omnia accepta ferunt, (*l*) vtpote qui eis omnia pro immensa mea caritate donauerim. Et quidem tanto amore diuinitatis tantaque lætitia circumfluunt, vt nihil eis gloriæ, nihil felicitatis desit. (*m*) Omnes sancti quanto gloria sublimiores, tanto modestiores, mihique & viciniores & cariores sunt. Atque hanc ob caussam scriptum est illud, eos coronas suas ante Deum abiecisse, & prono coram agno vultu adorasse viuentem in omnia secula. (*n*)

VIIII. Quærunt multi, quisnam sit

(*l*) *Apoc.* 4. *v.* 10. (*m*) *Psal.* 16. *v.* 11. (*n*) *Apoc.* 4. *v.* 10.

in regno Dei maximus, ignari, an ipsi in minimorum numero sint habendi. *In cælo vel minimum esse, magnum est, vbi omnes magni sunt:* omnes enim filii Dei & vocabuntur & erunt. (*o*) Minimus in mille propagabitur, & qui centenarius pœnas dabit, iuuenis morietur. (*p*) Cum enim quærerent discipuli, quisnam esset in regno cælesti maximus, hoc audiuere responsum: (*q*) *Nisi mutati fueritis, & parvulorum similes euaseritis, non intrabitis in regnum cæleste.* Itaque quisquis sese instar huius pueri depresserit, is erit in regno cælesti maximus.

X. Væ eis, qui cum paruulis submittere sese dedignantur: nam humilior est regni cælestis ianua, quam vt per eam intrare possint. Væ & diuitibus, qui suas hic habent consolationes: (*r*) nam pauperibus in Dei regnum ingressis, ipsi foris stabunt eiulan-

(*o*) *Ies.* 60. *v.* 22. (*p*) *Ies.* 65. *v.* 20. (*q*) *Matth.* 18. *v.* 3. (*r*) *Luc.* 6. *v.* 24.

lantes. *Gaudete humiles: exultate pauperes: nam vestrum est regnum Dei*, si tamen veritati obtemperatis. (s)

CAPVT LXIIII.

Omnem spem & fiduciam in solum Deum esse defigendam.

DOmine, in quonam mihi sita est in hac vita fiducia: aut quidnam mihi maximo solatio est ex omnibus rebus, quæ vsquam sub cælo constant? Nonne tu, Domine mi Deus, immensa prædite misericordia? Quando mihi vel sine te bene, vel te præsente male fuit? Equidem *propter te pauper, quam sine te diues esse malo*: potiusque tecum in terra peregrinari, quam sine te cælum possidere. (t) *Vbi tu es, ibi cælum est*: rursumque *vbi tu non es, ibi mors & orcus est.* Tu mihi in desiderio es, ideoque ad te gemere, clamare, orare necesse habeo. Nulli denique plene possum confidere,

(s) *Matth. 5. v. 3.* (t) *Ps. 73. v. 25.*

qui mihi in meis neceſſitatibus opportune auxilietur, niſi tibi ſoli Deo meo: tu mea ſpes, tu fiducia, tu conſolator, & in omnibus fideliſſimus. (*u*)

II. *Omnes ſuis rebus ſtudent:* (*x*) *tu* nihil niſi ſalutem profectumque meum expetis, *mihique omnia in bonum conuertis.* (*y*) Quod vero variis me tentationibus & caſibus obiicis, id omne ad vtilitatem meam conſtituis, mille modis tibi dilectos explorare ſolitus, (*z*) qua quidem in exploratione non minus diligi debes, & laudari, quam ſi me cæleſtibus conſolationibus repleres.

III. *In te* ergo, *Domine Deus, ſpem omnem perfugiumque mihi colloco:* in te calamitates omnes, angoresque meos conſtituo: nam extra te quidquid conſpicio, id omne infirmum & inſtabile inuenio. (*) Siquidem nec amici

(*u*) *Pſ.* 9. *v.* 10. *Pſ.* 142. *v.* 6. (*x*) *Phil.* 2. *v.* 21. (*y*) *Rom.* 8. *v.* 28. (*z*) *Hebr.* 12. *v.* 5. (*) *Pſ.* 62. *v.* 6.

ci prodesse, nec fortes opem ferre queunt, nec prudentes vtile dare consilium, nec doctorum libri consolari, nec vlla opum copia liberare, nec abditus locus tutari, nisi tu ipse adsis, adiuues, confirmes, consoleris, instruas, & custodias. Etenim *omnia, quæ videntur ad pacem ac felicitatem consequendam pertinere, te absente nihil sunt*, nihilq. felicitatis reuera afferunt.

IIII. Itaque omnium bonorum finis, & vitæ culmen, & omnis orationis profundum tu es, & in te supra omnia spem habere, validissimum est solativm cultorum tuorum. In te coniectos habeo oculos: tibi confido, mi Deus, misericordiæ pater. Felicita, sanctamque effice animam meam cæleſti felicitate, vt ea fiat tua sancta habitatio, & sedes æternæ gloriæ, nihilque in templo tuo sordium inueniatur, quod oculos tuæ maiestatis offendat. Pro tuæ bonitatis magnitudine, misericordiæque multitudine respice

me, & preces exaudi inopis ſerui tui, procul exulantis in regione ferali. Protege & conſerua animam ſeruuli tui, inter tot mortalis vitæ diſcrimina, neque ductu fauoris tui dirige per viam pacis, in patriam ſempiternæ claritatis.

LIBRI TERTII FINIS.

DE COENA DOMINI

LIBER QVARTVS.

Ad corporis & ſanguinis Chriſti communitatem exhortatio.

Vox Magiſtri.

VEnite ad me omnes, qui laborantes eſtis, onuſtique, & ego recreabo vos. (a)

Panis, quem ego pro mundi vita dabo, caro mea eſt. (b)

Acci-

(a) *Matth.* 11. *v.* 28. (b) *Ioh.* 6. *v.* 51.



Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1857201116/phys_0367
DFG

Accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facitote ad mei memoriam. (c)

Quisquis enim carne mea vescitur, & sanguinem meum bibit, is in me manet, & ego in eo. (d)

Verba, quæ vobis locutus sum, spiritus sunt, & vita. (e)

CAPVT I.

In communitate quanta sit aduersus Christum adhibenda reuerentia.

Vox discipuli.

SIC effatus es, *tua sunt hæc* amplissima *verba*, (Christe, veritas æterna,) licet vno tempore, eademque pagina S. minime conscribantur. Quoniam igitur & dicta tua sunt, & vera, grate profecto cuncta, summaque fide animo meo imprimam. Tua sunt; a te

(c) 1. Cor. 11. v. 12. (d) Ioh. 6. v. 56. (e) Ioh. 6. v. 63.

a te profecta scio, quæ tute protulisti; *quin & mea sunt*, vtpote mihi in salutem palam edita. Libenter ex ore summi doctoris excipio, quo penitius animo discipuli inhæreant. *Quid novi, si tuam ad orationem* tam acceptam, tantaque dilectione conditam, *expergiscar? interim autem me deterrent*, nec domo pedem efferre sinunt *flagitia mea*. Tu quidem, quod fateor, ad cursum in cælum me benigne prolectas, & quasi prouocas: sed e regione grauat admodum, humique sternit vitiorum meorum acerba sane recordatio.

II. *Apud te tamen vt hæream* aliqua in parte, *quo me vertam?* opportune doces igitur, vt *limen insistam a te præscriptum*, iterque sursum versus, & per fiduciæ rationem, affectem. Quod si vitam & gloriam expetam, (quis autem non expetit?) admones item, vt immortalitatis alimentum hic in antecessum quasi delibem. Quod loqueris

ris igitur, aure non auersa, nec ex alieno iecore, quam ex meo plus sapiens, exaudio, *quicunque laboratis, ad me venite, & ego recreabo.* O venustum & suaue dicendi genus, præsertim vbi tinnit in auricula peccatoris! Ita tamen egenum hunc hominem, & rerum omnium inopem, Domine Deus, in digitos erigis, & ad corporis ac sanguinis tui commemorationem & figuram inuitas. *Quis autem ego sum, vt Deum meum adeundum mihi nunc, aut hospitio recipiendum putem? (f)* Ipsi te cæli cælorumque cæli non capiunt; & tamen ad homulum hunc, vt apud eum habites, e vicino descendis? *Ad me venite, quicunque laboratis.*

III. Quid sibi vult tam præclara voluntas? quo pertinet inuitatio tam blanda beneuolaque? Nunc illud est, vt audeamus venire; a capite, quod indagamus, exponis. Ego vocem tuam audio: sed hæreo, moræ aliquid nectens,

(f) 1. *Reg.* 8. *v.* 27.

nectens, nec statim in amplexus tuos ruo: *prohibet* enim *tua maiestas, meaque reuocat vilitas*, quia nullius adhuc officii mihi sum erga te conscius. Obsecro te, Domine, *qua fronte domum meam te vel abducam, vel intromittam, vel intromissum detineam, quem infensum hactenus*, & inimicum vbique *mihi reddidi?* Te suspiciunt Genii, Geniorumque principes? Te metuunt, numenque tuum adorant beatæ mentes; & nihilominus exspectas, vt nos etiam ad te gradum grandire occipiamus? Id certe (quantum quantum est, est autem maximum) nisi clare, citra contradictionem, & sine nube demonstrasses ipse, ecquis aut appropinquaret, aut pronuntiato tuo fidem arbitratus esset?

IIII. *Noah*, vir integerrimus, aquarum eluuione ne periret, (g) annos centum in arcæ fabrica laborauit. *Moyses*, interioris admissionis amicus tuus,

(g) *Gen. 6. v. 22.*

tuus, armarium haud vulgare, sed ex incorrupto ligno, condendis, reponendisque legis tabellis fabrefecit: & *Salomo*, regum Israeliticorum *(h)* sapientissimus, augustum tibi fanum exstruxit, hostiasque mille libauit: *an illis hæc mecum conueniunt*, qui cum terra cinisque sim, *hospitem omnium maximum tugurio meo* succedentem *excipiam*, *antequam in ornando comandoque me plus quam horulæ dimidium impenderim?*

V. Vt Deo secundo fruerentur, tibique placerent, si nullum non lapidem voluerunt tam veterani, quam tyrones tui, quid vno me vel fieri, vel fingi potest ineptius, cui non solum in tenui labor est, sed & lentum negotivm, & in arctum contractum tempus? Te quidem salutariter in sacris hisce opertaneis præsente, ne cogitatio, nisi pia, se debet vspiam ingerere: Ego tamen a longa valetudine nondum Deo

(h) 1. *Reg.* 6. *v.* 2.

vacaui, nondum conualui, neque me totum recollegi: cernis, vt *animum meum diuerſe trahunt*, *hinc* pectus inane cæleſtium, necdum ſcopis purgatum; *illinc* Heroum, & Geniorum omnium dominus intimis præcordiis accipiendus.

VI. Sane, quoties in eadem trutina caſtigantur, tabernaculum cum cimeliis ſuis, quale fuit olim, & corpus tuvm ineffabili fructuum & virtutum adparatu refulgens, immane quantum inter ſe diſtant. In honore fuerunt *Moſaica Sacra*; ſcilicet, haud nego: ſed vt *futurorum bonorum præludia*, quæ tui corporis hoſtiam, victimarum omnium, libaminumque perfectionem adumbrarent.

VII. Ad corpus ergo tuum cur non exardeſco magis, & incendor? In obeundis myſteriis quare me ſolicitudo maior non circumſtat, nec feruet opus? Ecce! gens tibi dilecta, magno atque excellenti ingenio viri, patriarchæ, pro-

prophetæ, reges, in ſuis erga Deum officiis quisque ſe maxime iactant.

VIII. *Dauid*, quaſi Deo plenus, *(i)* in luce hominum & chorum duxit, & muſicum haberi ſe voluit, & in omni chorda laborans, & numeros, & modos, & frequentamenta populo præmonſtrans, *Iſraelem totum ad Deum* toto corde, carmineque perpetuo *celebrandum induxit.* Si motus animorum in beneficia, laudesque diuinas, tot antiquitus, & tanti percrebuere, *quid oportet nos facere, quos menſa ſua* mox *communicabit Dominus?*

VIIII. *Multi* mortales *peregre profecti longius excurrunt, vt alicuius ſanctuli reliquias viſant*, exoſculentur, & res geſtas enarrent. Quisquis es, cui ſalit aliquid ſub læua mamilla, *deſine nugarum*: nullum ego moror intertrimentum, ex quo præſentem in hoc ſacro ſe ſiſtit apud me Deus meus, ſanctus ſanctorum, conditor hominum,

 & au-

(i) 2. *Sam.* 6. *v.* 5.

& angelorum dominus. Vulgo quidem homines curiosi, & nouitatis auidi, crepundiis vel indagandis, vel inueniendis, vel spectandis ætatem agunt: at nullo suo compendio, nisi vere resipiscentes, mores corrigant, & a vitiis desciscant. Vsque adeo in longinquas regiones excursus omnis, nisi pietate condiatur, desultoria res est, & inutilis.

X. *O mundi genitor* & auctor inuisibilis? *quam admirabiliter nobiscum agis, dum* tui studiosis *teipsum largiris, &*, quo viuamus in sempiternum, *in mensa comedendum etiam nobis adponis!* Hoc, hoc illud est, quod omnem mentem nostram exsuperat: hoc affectus nostros incendit, hoc denique deuota tibi pectora sic ad te trahit, vt in omni reliqua vita nihil, præter obsequium tibi debitum, adpromissumque, spiremus.

XI. O miram absconditamque *vim Eucharistiæ*; quam soli fidentes experium-

riuntur, infideles nesciunt! Hic namque robur spirituale donatur; hic quidquid stupebat, id excitatur; quidquid peccato deformabatur, aut remollescebat, id hic ad pristinum vigorem redintegratur. Tam potens est hoc, tam præsens pollensque medicamentum, vt & mentem hominis recreet, & corporis imbelliam profliget.

XII. O Domine! quo deuentum est? vbi terrarum innocentiæ studetur? quod summe necessarium est, id omnino fugimus, nec hinc in Christi sinum euolamus, in quo sita spes est tota felicitandorum. Quippe nobis, Christe, solus ipse daris & sanctitas, & liberatio; solus ipse viatorum es solamen, æternumq. præsidium. Itaque quo dolore esse debemus, vulgo negligi, vel non satis aduerti solere tam salubre mysterium, quod & cælum lætificat, & orbem terrarum illæsum præstat? proh! quantum noctis habent in me-

ridie, qui tam ineffabile munus aut nullo loco numerant, aut pro merito certe nequaquam æstimant?

XIII. In orbe toto, si singulare modo sacrificium vnus tantum sacrificulus procuraret, & vnus duntaxat ad procurandum locus exstaret, eo certatim, qua contentione, studioque ad audiendum sacrum vndique concurreretur? Nunc vero, cum nullibi deesiderentur, qui victimæ semel pro peccatis libatæ memoriam repræsentent, inopes plane nos, negligentes, & tardos ipsa copia fecit.

XIIII. Vtcunque *habeo tibi gratias* immortales, æterne pastor, quod pauperi, quod exsuli, quod laboranti mensam exquisitissimis cibis non solum exstruxisti, sed etiam quod [simul atque corpore sanguineque tuo refecisti] me porro epularum id genus assectam esse vis assiduum: iuuat enim ex tuo ipsius ore iterum atque iterum audire: *Venite ad me omnes, qui laborantes estis,*

estis, onustique: & ego recreabo vos. (k)

CAPVT II.

De amore, quo Deus homines in cœna prosequitur.

Vox discipuli.

FOrte longum est iter, parumque tutum, quid si pardus in via? vtcunque clementia tua, Domine, fretus, in viam hoc tempore me dans, quoniam ita vis, accedo, nec alio, nec aliter, nec alius *accedo*, quam accedere solet & debet *æger ad medicum, esuriens & sitiens ad vitæ fontem; inops ad cæli regem; seruus ad dominum*; & res *reiicula desertaque ad vnicum suum refugium & oblectamentum*. Vnde vero hoc mihi? Quis ego sum, vt aut ad te veniam, aut cui tu teipsum largiare, Domine? num in Dei conspectum &

(k) *Matth.* 11. *v.* 28.

consociationem irrepere sustinebit peccator? Equidem nihil prius mihi faciendum puto, quam vt tibi celeriter occurram, quia tu venis ad me, tametsi probe cognoscas, seruum tuum in se nihil habere, cur hoc illi præstes: *vilitatem meam vltro fateor*, vt indulgentiam tuam demirer. Hinc de caritate prolixa *te laudo*, *gratiasque pro virili referam*, vt & nomen tuum amplius illustretur, & amor erga genus humanum vberius ostendatur. Quoniam igitur hoc tibi placet, mihi maiorem in modum arridet accommodatio diuina, nec in votis est quidquam antiquius, quam ne qua ex parte amoris tui abundantiæ repugnent peccata mea.

II. Suauissime, benignissimeque Iesu! quid reuerentiæ, quæ gratiarum actio, quantum interrumpendæ nunquam laudis tibi debetur de sacramenti participatione, cui non sum explicando? mentem meam in quas imagines

gines infigam, ad dominum meum adpropinquans? quem etsi pro dignitate venerari nequeo, tamen excipere discupio non aliter, quam cerua mugit ad aquæ riuos. Itaque subiiciens vbique me deprimam, omissoque supercilio Deum solum eueham.

III. Tu sanctus, sanctus, sanctus (l) Dominus Deus es armipotens; at *ego quid?* homo? immo potius excrementum hominis, & spuma peccatoris. Ecce! tu voluntatis inclinatione propendes ad me, consuetudinem meam non dedignaris, me familiariter vti cupis, in vitæ societatem, & accubationem epularem conuocas, & panem angelorum, panem de cælo descendentem promis, quo pane qui vescitur, in perpetuum viuet. (m) Et tamen interim *ego non sum dignus, ne quidem oculos in cælum attollere.*

IIII. Vnde hæc dilectio? vnde studium incredibile? vnde dignatio tanta?

(l) *Isa.* 6. *v.* 3. (m) *Ioh.* 6. *v.* 51.

ta? hoc tam multiplici nomine quam immensæ laudes redduntur? Inter instituendum excogitata tua ratio, salutarisque paret: at vbi Christum ipsum in mensa comedendum ebibendumque donas, quam iucundum est conuivium! quam excellens virtus! quam ineffabilis veritas! quam admirabilis operatio! (n) Quod enim ipse dicis, id fit; & id factum est, quodcunque dixisti. Per mihi visum est hoc mirum, fideque dignum.

V. O Deus, qui dominaris omnivm, ac infinite pates, annon in arctum te contrahis, animos humanos incolens? *quæso te, dirigatur cor meum*, & corpus emaculetur, *vt* inter discumbendum *non minus ad perpetuam domini memoriam, quam ad meam ipsius salutem edam & bibam.*

VI. De tam insigni vitalique solatio, in te collato, gratias age Deo, anima mea, nec intermitte; ora pro viri-

li,

(n) *Psl.* 33. *v.* 9.

li, gaudeque: quoties enim edis & bibis, toties corporis Christi figuram recipis, toties opus liberationis tuæ repræsentas, & toties in facinorum omnium sospitatoris tui participationem admitteris. Etiamsi fueris cultor nec parcus, nec infrequens, certe nec amor Christi diminuetur, nec magnitudo propitiationis exhaurietur. Vides igitur, quot quibusque funiculis ad mentem, in ordinem cogendam, renouandamque teneris, magnumque salutis arcanum æqua lance expendere; magnum adpello, quod ita tibi videri debet, ac si primum hodie Christus in aluum virginis descendisset, aut ad palum pro salute generis humani fuisset alligatus.

CAPVT III.

Quod facis, id vt sæpissime facias, tua refert maxime.

Vox discipuli.

VT mensæ lætus interfim, & munere tuo fruar, en ego pedetentim & gradatim istuc ad te venio, Domine, in quo solo reperitur id omne, quod aut possim aut debeam exoptare; nam mea tu salus es, mea liberatio, mea spes, & lux, & virtus, & decus, & gloria: quidnam amplius aues? hunc ergo diem hilarem sumamus; ad te, Domine Iesu, meum animum attollendum curaui: Te demisse veneror; Te peto: Te domum meam introducere cupio, nec id alio consilio, quam vt fauorem cum Zachæo consequar, (o) & Abrahamo natorum numerum adaugeam.

II. Corporis tui societate committi poscit anima mea, & cor ex imis pul-

(o) *Luc. 19. v. 3.*

pulmonibus vniri tecum anhelat. Si te mihi concedis, & transfers, satis est abunde; nam extra te nullum solativm prodest: & morior, si tui carendum sit. *Creberrime* igitur pace tua *tecum viuam, ne forte cibo vitali fraudatus, in via defetiscar.* (p) Ita misericors fidusque pontifex alumnos tuos olim docuisti. Sirempse lege mecum iam age, si videtur; quisquis enim te rite recteque vescitur, is e vestigio cæli municeps euadit, & hæres gloriæ. Quia *sæpe laboro, sæpe torpeo, sæpe deliquesco*, plane mihi necessarium est, subinde remediis vti diuinitus institutis, supplicatione, prece, confessione, communicatione, ne forte diutius abstinendo, sanctissimo proposito aberrem.

III. Cunctorum enim hominum studia praua esse comperimus iam a pueris: (q) Vnde, nisi succurrit Devs, in horas singulas & momenta col-

(p) *Matth.* 15. *v.* 32. (q) *Gen.* 8. *v.* 21.

labemur ad deteriora: nec, si mensæ communicationem excipis, habemus, quod aut sufflaminet, aut a lapsu retrahat, aut, vt ad bonum inualescamus, intercedat. *Qui nunc in officio frigeo; nonne demto remedio prorsus obrigescerem?* Propterea, licet idoneus haud quaquam sim, neque quot diebus ad celebrandum accinctus; operam tamen dabo, ne quam obeundi rem diuinam occasionem omittam. Illa demum piæ mentis, in Aegypto peregrinantis, est consolatio princeps, quæ neque Christi simulacrum, in cruce morientis, neque Deum fide conceptum excidere sibi sinit.

IIII. Domine Deus, beatarum mentium auctor, qui vitalem calorem per omnem mundum impertis, cur imperia, cur magistratus despicis, vt ad humilem animulam diuertas, & esurientem vtraque tua natura saties? O felicem animam, beatamque, quæ Dominum Deum tuum & suscipis, & inter

su-

ſuſcipiendum, incredibili gaudio ſuperabundas! Quantum tu *Dominum*, quantum *hoſpitem*, quam iucundum *ſocium*, quam fidum *amicum*, quam formoſum *ſponſum* in pectore foues! Domine! ſi te capio, cælum, & terram, & eorum ornatum omnem capio.

CAPVT IIII.

In rebus Chriſti cæleſtibus omni vbertate diuina fortunabuntur rite communicantes.

Vox diſcipuli.

PRopera, Domine Deus, in famulum tuum vti præcipua miſericordia, ne forte non modeſte ſatis, & religioſe nunc diſcumbatur. Vrge, ſi placet, & *excita*, vbicunque ſidit, aut cubat hoc *cor*, *mundumque mihi crea*; ſic enim conuiuii non analecta ſolum, ſed etiam dapes ipſas, & ſcitamenta de-

decerpam. Affice me, precor, ſalute tua: *oculos meos illuſtra*, quo pulchre videam, & intelligam, & comedam, & bibam, quodcunque tuæ menſæ liberaliter adponis: tuum enim ſolius munus eſt, non manuum noſtrarum opus: tuum ſolius eſt inſtitutum, non hominis vllius inuentum. Non miror, ſi me rapiant in viridarium Edenenſe, meumque cor vulnerent arcana, quæ diſcupiunt etiam angeli proſpicere.

II. Domine, fer me, quæſo, dum morem tibi gerens, ad te contendo, ſimplice quidem, at feruente animo, fideque bona: *Venio, quemadmodum venire ſolent, qui nondum ſunt confirmatis cruribus, & talis; venio* quaſi quodam ornatu vitæ *verecunde*, reuerenter, abundans *ſpe*, certiſſimeque denique credens, cum in myſterio *Devm ipſum adeſſe*, tum *ineffabili ratione* per occaſionem *a fidentibus manducari*. Niſi ita ſe res haberet, neque toties,

ties, neque tam aperte moneres, vt ad epulandum accinctus coram te compaream, te præsentem pectore recondam, meque ad corpus tuum adunem. Itaque, quo colliquefiam totus, & amore erga te diffluam, nec aliis vllis in posterum adminiculis innitar, te maximopere rogo, obtestorque. Quid enim hoc sacramentum, nisi corporis, animæque mihi salus? quid, nisi pigritiæ, qua laboro, remedium, vitia mea sanans, affectiones coercens, debellans, aut eneruans pericula? quid ad extremum, nisi gratiæ locupletioris argumentum, quod fidem firmat, spem alit, & caritatem accendit?

III. O beatos conuiuas tuos, quos hic nullis non deliciis exples, Deus meus, animæ meæ propugnaculum, fragilitatis subsidium, & omnis interioris consolationis auctor. In calamitate tu me reficis, in ieiunitate, debilitatione, aut abiectione animi tu me solus erigis, ceterisque ex ore tuo pen-

den-

dentibus ad bene de omni republica sperandum, quasi signum aliquod extollis, idque in eum modum, vt qui prius, quam discumbebatur, anxii, gravati, inepti mox a cœna, cælesti cibo, potioneque completi, se transfiguratos in melius sentiant, & præ lætitia gestiant, tanquam ad omne bonum opus qui iam mirifice confirmantur.

IIII. Cur in album diuinæ prouidentiæ referendos ita ferme tractes, ego nondum assequor, nisi forsan vt vniuersi, singulique tam imbecillitatem suam, quam virtutem tuam alternis vicibus experiantur. In se nusquam non dormitant, & frigent, & torpent, & sensum religionis propemodum amittunt: sed tu continuo facis, vt expergiscantur, & in procinctu stent, & expediti, atque alacres rursus incalescant. Quis enim ad fontem suauitatis accurrens, inde non refert saporem? aut quis ad ignem stans, non inde, quantum

satis

satis est caloris, in cutem euocat? scimus ante te, Domine, fontem esse perenni riuo scaturientem ad vitam; scimus, ignem etiam esse iugiter ardentem, & inextinctum.

V. E fonte vero si mihi non licet haurire, bona tua cum venia, ne prorsus arescam, ad cælestis fistulæ foramen aliquod os adponam, & instillantes inde guttulas excipiam. Si Cherubinorum & Seraphinorum amore non inflammor, nec flagro, dabo tamen operam pietati, quotiescunque ius, fasue est, in sacramenti participatione quibusdam velut incendii stricturis me delectabo.

VI. Quod *fateor*, *non tantum profeci, quantum volui*; sed tu, bone Iesu, pro copia tua defectum meum supplebis; nam me quoque vocas, quando dicis: *Venite ad me omnes, qui laboratis*. Equidem, si quis alius, inprimis laboro; victum cum vultus mei sudore tolero, valdeque perturbor.

Quo-

Quoties in me descendo, meaque vnivs peccata mecum reuoluo, plus oneris sentio meis humeris impositum, quam ferre me posse intelligo. Pro tua clementia miserere mei, Deus; audi, precor, & opitulare, ne longius abeam, onustus vitiis, implicatus tentationibus, affectionibus malis inquietatus, nec adest, qui iuuet, aut seruet, aut liberet, extra te solum, Domine Deus, cui vitæ meæ rationes omnes ab ineunte ætate permisi. Ad laudem igitur, & decus, & gloriam tui nominis adsciscе me, cui corpus & sanguinem tuum in cibum, potionemque suppeditare dignaris. Profecto, *qui me sospitas*, Domine, *facillime quoque, certissimeque procurabis, vt ardor in te meus in hac officii sacri frequentatione* quot diebus *adolescat*.

CAP.

CAPVT V.

De mysterii dignitate, deque statu, quem obtinent sacris præfecti.

Vox discipuli.

INstructam esse *mensam* quis non advertit? At si filius es auroræ, si castitate excellis, aut ardore pietatis ipsum baptistam æmularis, non propterea satiaberis, sed hoc commeatu intercluderis: quippe *nullius homine nati meritis datur*, vt ab vsu communi panem & vinum secernat, & in Dei peculium referat. Grande iam arcanum loquor, & decus immortale sacerdotum, quibus id ministerii donatur, quod *ipsis spiritibus haud conceditur*. Non enim constant hæc sacra, vbi qui nondum initiati sunt, sacris operantur, nec ipsum Christi corpus dedicare reformidant. Est quidem sacerdos Dei minister, qui Dei sermonem ad Dei præscriptum edit: at cui parent omnia,

omnia, Deus hic auctorem se principem fert, opificemque, quem nemo vidit vnquam.

II. Quando igitur accumbis, Deo vaca, nec tuis ipsius oculis magis, quam armipotenti crede; feceris haud paullo rectius, si velut attonitus *attendas ad dotem, quæ tibi* per oraculum *est collata, cum manus imposuit antistes.(r)* Ecce! desumeris ex hominibus. Et separatis; quorsum nam? vt libes pro hominibus. Itaque tuiipsius *curam gere, ne vel alieno tempore, vel infrequenter, & parce, vel fide denique non bona munus publicum obeas*, sed vbique te demonstres irreprehensum. Ad summum indies tendis, nec onere tuo te leuasti, sed arctiore longe vinculo disciplinæ constrictum reddidisti: Sacerdotem enim oportet, & omnium virtutum concentu quodam ornari, & magnum se cunctis aliis exemplum proponere. Inspiciamus in speculum, si co-

(r) 1. *Tim.* 4. *v.* 14.

si copia sit inspiciendi, parumper; non versatur, vt est huius mundi vita, sed ti decet cæli municipem, & sceleris purum.

III. Tibi quidem inseruit, tibi consulit, tibi prospicit, tecum, & pro te prosternitur, preces & supplicationes coram Dei solio, sed vice, locoque Christi fundit, nec intermittit, quin exaudiatur, & impetret. Ad hunc fere modum, dum officio suo defungitur in celebrando sacro, quantum est, quod præstat? Deum honorat, angelos delectat, illustrat homines, seque bonorum omnium, communiumque commodorum socium, & procuratorem ostendit.

CAPVT VI.

Ante quam panem frangimus, disquisitio.

Vox dicipuli.

VBI dignitatem tuam, Domine, meamq. e contrario tenuitatem ex-

excogitata ratione, nec iniqua trutina pondero, maiorem in modum distrahor a duobus. Etenim, *in sinu tuum si recta non euolo, salutem, vitamque fugio; si* vero *sine mentis compositione domo mea pedem effero, Deum ad iram prouoco:* quid igitur agam, aut qtio me recipiam?

II. O Deus, o derelictorum vires, & oraculum! doce me, quæso, tuam viuendi viam, & ad pietatem exerce cœnæ tuæ nec insolentem, nec inconcinnam, nec ineptam. Scio suauem omnem esse cum Deo familiaritatem, præsertim, quando neque conuiuandi leges, neque rationem ad Deum me toto animo conuertendi, neque frangendi spiritum, quod diuinum est sacrificium, ignoro. (s)

(s) *Ps.* 51. *v.* 19.

CAP.

CAPVT VII.

Mores quisque suos corrigere debemus, & diligenter expendere.

Vox dilecti.

ANte omnia tam fidei plenus, quam assiduus in functione minister ad mysticam mensam accedat, nec abiectione corporis modo, verum etiam animi demissione, maiestatem diuinam illustret, & conuiuis omnibus exempl[illegible] Quisquis es igitur, *tuam ipsius conscientiam* non populari trutina, sed aurificis statera *perànguste castigato*, nullum non eius recessum, nullum anfractum non excutiens. Annales euolue, totius ætatis anteactæ noxas serio recolens, *incipe tibi maximopere displicere*: displicebis autem abunde, *si Deo palam confiteris*: qua parte modum excesseris, vel, quod præstandum erat, omiseris: quando tam in genere, quam singulatim,

tim, vbi tantillum vel deliraueris, vel titubaueris, inueniſti, noli, ſi ſapis, quidquam ex conſpectu ſedentis in ſolio, abdere; ſed etiam atque etiam vide, ne fermenti veteris vllum veſtigium vſpiam deliteat, quod in itinere religionis impediat, aut oneret, aut vrat.

II. Dum tempus eſt haud alienum, *in te deſcende; diſcrutiare animi*, quantum pote, doleq. ſecundum Deum; quorum auctor fuiſti, ea veniant in mentem tibi, *nec Deum aude celare. Si*, velut emancipatus vitii, nondum ſuperis ſtudes; ſi vel frenum libidinis laxas, vel *mundanis cupiditatibus inhias*, *id* quoque *fer ægerrime*, *teque conturbet invaletudo tua.* Tua namque res agitur, tibi ſeritur, cui negligenti eſſe non licet, quamdiu manet in te quidquam, quod animum grauet, aut ad conuiuium euolanti pennas incidat. Porro, *de flagitiis tuis interrogandus es*, *cur carni ſtudes*; *cur veterem hominem*

cum

cum ſuis actionibus non exuis? cur imaginibus & vanis & falſis eluſus toties, neque cuſtodia, neque vigiliis vllis te circumdas? patent hæc omnibus ad viſendum. Quæ foris exſtant, maximi facis: quæ vero ſunt intus, vel habes deſpectui, vel illuuie, ſordibusque horrere ſinis. Riſum quidem vbique captas, & diſſolute magis, quam vllus cachinno; ſed mœrorem interim ex criminum tuorum recordatione nullum ſuſcipis. Ad bacchandum in voluptatibus corporis, quis vno te vel expeditior, vel promtior adparet? at aduerſa via, quis ad animi ſui ius, fasque componendum hebetior, aut tardior? Quæ vera, quæ grauia, quæ iuſta, quæ modeſta ſunt, auerſaris, vt in rerum nouarum audiendi, ſpectandique cura conſeneſcas. Facultatibus affluis; quis neſcit, aut negat? & tamen miſer ita comparcis, quaſi genium tuum defraudare ſatageres. Quidquid in buccam venit, quamuis ad te nihil attineat, id

effutis & pueriliter, & inconsiderate. Non te pudent hæc? Verbis explicare non est facile, quam discinctus publicum adspicis, quam ad internoscendam vitam alienam curiosus, quam ad emendandam tuam desidiosus? Laborem ita fugis, vt etiam otium inuoles; quique *nugis & fabellis delectaris, ad preces & supplicationes oscitaris*, nec ab ore Dei pendens, nec in diuisa cum Christo coniunctione viuens. In foro, quando res tua non vertitur, an te decet irritabilem, & inconsultum ius dicere, neminemque non censoria virgula notare? Nusquam tibi constas; in secundis tuis rebus si lætitia circumfluis, in aduersis certe, velut ignauum animal, flaccescis, & aculeum amittis. O te cœcum, qui hæc ante non videris.

II. Hæc autem, & limen omne sceleratum, & morum id genus peruersitatem ex animo pertæsus, si coram Deo lapsus tuos singulatim & enumeras, & re-

recognoscis, & damnas, & absistis, & ad frugem bonam te recipere firmissime decernis, *age*, præsta te virum, pete, vel potius *omnibus precibus ora veniam, & obtestare.*

IIII. *Quando ita vis, in sacram mensam pectore toto incumbe*, teque viuentem hostiam acceptamque domino libato, cui tuto mandes, si quid recte curatum velis. *Non* enim *auet ille mortem morientis.* Ad exitium peccati nemo sibi potest melius, aut rectius prospicere, quam si quotidie Deo semetipsum in hoc epulari sacrificio libet.

CAPVT VIII.

De oblatione Christi in cruce, quam vbi recte perpendimus, omnem voluntatis nostræ sensum renuntiamus.

Vox dilecti.

VT expansis in palo manibus, & corpore nudo meipsum vltro Deo Patri libaui, sic teneris ipse te mihi viuentem, sacram, acceptam-

que hostiam addicere. Nam *aliud* te *non posco, quam vt* tibi renuntians, *pietatem ames, & erga me submisse tegeras.*

II. Quidquid tibi vendicas, extra teipsum, id ego non moror : *tua* namque *non expeto, sed te. Quemadmodum, si quæ reliqua sunt omnia, possideres, excepto me, non conquiescerres ; ita quoque mihi minime satisfacis, vbi te mihi totum non dedicas* nec dedis. Quare si te Deo victimam offers, fertum eris eximium, & gratum, & fauorabile. Ecce ! tua caussa Patri meo me totum obtuli ; corpus & sanguinem in cibum tibi dedi, ne non totus tuus essem, tuque vice versa totus meus. Ceterum si te tibi seruas, si tecum habitas, si totum te mihi non dicas, tum certe neque fertum tuum est absolutum, neque, quod oportet, duo nos in vnum coalescimus.

III. Proinde *tuis in studiis*, incœptisque cunctis, si modo libertatem, & gratiam adipisci cupis, principio *te Deo*,

Deo, qui redemit, *in manum commendato*. Patet enim, ideo paucos in libertate, in quam Christus nos asseruit, stare colluſtratos, quia vel neſciunt, vel nolunt, vel negligunt ſponte ſua ſe, ſolideque denegare. In hoc dictum illud meum ſine controuerſia probato: *Quicunque non ſuis* omnibus *valedicit, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* (t) Meus eſſe diſcipulus non potes, qui neque tuum ipſius animum odiſti, neque te mihi totum cum libidinibus, & cupiditatibus emancipaſti.

CAPVT VIIII.

Et ipſi nos, & quidquid noſtrum eſt, offerre Deo debemus: item ſummopere noctes ac dies, quantum ſpectat ad omnium ſalutem, orare.

Vox diſcipuli.

QVæcunque cælo, terraque continentur, omnia tua ſunt, Domine; manus tua fecit omnia. *Ego*

(t) *Luc.* 14. *v.* 26.

igitur, quantuluscunque sum, *in munus voluntarium offero me tibi.* Absit, vt auribus tuis hoc dem. Ex animi mei sententia loquor: ad perpetuum obsequium, in perpetuam laudationis victimam me tibi do, dico, dedicoque: respice me benigne; *accipe tibi me*, mecum corporis tui fertum obmouentem; *idque* tam mihi, quam vniuerso populo tuo *bene vertat.*

II. Domine, mea, si placet, omnia siue pericula, siue facinora, siue delicta, quæcunque ab ineunte adolescentia, ad hanc horam admisi, sisto, repræsentoque quasi in ara diuinæ indulgentiæ victimam adolendam, cremandam, consumendam. *O Deus, abole crimina, ablue me multum a vitiis meis, dele noxas, labeculas*, quas inspicis, *absterge, purgatam mihi mentem redde, meque pacis osculo dissuauiare.*

III. Quid aliud peccatis meis faciendum restat, quam vt secundo *Deo acerbe fleam, lamenter, & deplorem?* Nam ea

ea mihi vehementer displicent; si qua fides, *nunquam iterabo*, *nec duplicabo*, *sed ætatem*, quoad eius fieri possit, *abominabor*. Fert animus, ita viuam, corrigere mores & ad sanitatem reuertere; per nomen tuum, quod vbique claret, ignosce mihi, Deus, & reconciliare; libera hanc animam, quam sanguinis tui pretio redemisti. Ecce! *tuæ me clementiæ trado*, *tibi in manus me commendo*; vbi vis, vtere me pro arbitratu, sed placide, leniterque, non ex merito meo me tractans.

IIII. Si quid in me virtutis est, quod scio, quam sit exiguum, & imperfectum, id quoque tibi reor offerendum, vt magis indies & magis absoluas, *meque* tandem tardiusculum, & nulli pretii homuncionem *ad laudatum finem perducas*.

V. Ad hæc, *offero quoq. tibi parentum*, *amicorum*, fratrum, sororum, omniumque mihi carorum *vota*, preces, egestates, curas, vt omnia dispertiantur, pro vt cuique opus est.

VI.

VI. Ad extremum, *offero tibi*, quascunque flexis poplitibus effudi, *preces in hostium gratiam, qui vel infectati sunt, vel diuexarunt, vel iniuriam fecerunt, vel conuitiati sunt.* Domine, radicitus aufer animis omnium indignationem, iram, suspicionem, disceptationem, & quidquid vllo modo vel lædere possit caritatem, vel amorem erga fratres nostros refrigerare. *Eorum in primis*, Domine, *miserere, qui poscunt misericordiam, & ingemiscunt*: beneficium confer in omnes singulosque, quibus opus est indulgentia tua, largire propitius, *vt per te gratiam adepti, tibi adhæreſcamus, vitamque sempiternam metamus.*

CAPVT X.

Ad cœnam Domini quod attinet, vbi parata sunt omnia, non temere debemus nos excusare.

Vox dilecti.

QVid riuulos consectaris? *vt morbum in venis, medullisq. insidentem*

tem remoueas, vt ad sanitatem redeas, vt aduersus satanæ periclitationes, & impetus, & argutias magis indies magisq. firmeris, *ipsum bonorum fontem accedere debes*, indeque diuinæ benignitatis, clementiæque, quantum sufficit, exhaurire.

II. *Nouit hostis, ad innocentiam tibi maxime profuturum, si modo meus particeps sæpe sæpius euadas*, & mensæ communis assecla: nouit, inquam, hoc hostis, &, quia tenet ad vngues, modis omnibus, artibusque dabit operam, vt istinc fidentes omnes tecum depellat. *Quo crebrius ad cœnam addictus contendis, eo satanas in te*, quod aliis vsu venit, *acrius insurget, & impetet, vt remoretur*. Gaudet enim nequam genius, vna cum diuis conuenientibus, vt refert Iob c. 1. v. 6. interesse sacro, nec id alio consilio, quam vti molestiam conuiuis creet, aut negotium facessat, aut denique scrupulos iniiciat, qui vel sanctorum fidem labefactent, vel religio-

gionis æstum restinguant. Versutiam autem, & dolos, & id genus machinationes omitte, quo facilius & certius artificis, & auctoris sui capiti sint. *Tu*, qui seruans es honesti, *deride miserum, & contemne ; nam a proposito sancto*, præter diabolum, *nemo te dehortabitur.*

III. Nunquam etiam, dum Pascha polluces, vrgebere cura, solicitudineque nimia mentem tuam ad diuinum præscriptum adplicandi. Sed inde, quo te felicius & citius extrices, auscultata parumper, quid sibi velint sapientes, quodque sit eorum consilium ; *siquando*, quale sit id, de quo consideratur, *accidit dubitatio, statim abiiciatur*, & procul, *ne vel cælestis gratiæ cursum sufflaminet, vel tuæ mentis æstum compescat.* Quid enim ? hæsitatione, iactationeque distineberis ab epulo ? absit ; quin *eo celerius ito confessum*, positisque genubus obsecratum, vt *quidquid in te deliquerint homines alii, id inte-*

integre remittatur illis. Quod *si quem ipse vel læseris*, vel incommodaueris, *posce Deum veniam, & is e vestigio tibi condonabit.*

IIII. Nec ex tua dignitate, *nec e re feceris*, *quoties* aut tuorum scelerum enumerationem comperendinas, aut *cœnæ dominicæ participationem in crastinum differs.* Ocyus ergo vetus fermentum expurgato; *si quid obbibisti veneni*, *statim exspue*, *ac in alleuamentum singulare remedium adhibeto.* Quod si negligis hodie, *grauius impedimentum* se *cras* interponens, aut diutule *prohibebit*, aut saltem te *minus aptum ad officium reddet.* Languorem omnem, desidiamque tibi quamprimum excute, præ animi ægrimonia, vel ob occasiones quasi quotidianas noli te ceremoniis subducere; nam *quo sæpius omittis*, aut abstines, *eo te magis insolentem, & stupidum, & ineptum offendes.* Proh dolor! *sunt, qui* vel cunctantur, vel *tepent*, vel *omnino refrige-*

ſcunt, ne ſcilicet arctius, quam vnquam antea, conſtringantur ad vigilandum.

V. Verum enimuero ſi parcus hic, aut crudus, aut infrequens es cultor, profecto tu nec in Deum, nec in proximum tuum ea caritate, qua par eſt, efferueſcis. O Deus! tui tantum amans eſt, *non amator*, *qui* tecum in ſacris iſtis ætatem non agit, ſed inde *nullo negotio depellitur*. Ille demum & beatus, & acceptus Deo verſatur in terris, quisquis ad ſenectam vsque, & canos in arcano fidei ſibi probe conſcius, ſic agit, vt nunquam, nusquam non in procinctu ſtet, & quaſi myſteriorum alumnus ad opertanea ſacra admittatur. Nam hiſce, ſi commode, nemineque aduertente fieri poſſet, quis non interdiu, noctuque vellet intereſſe, idque non ſolum cum viuendi ſingulari lætitia, verum etiam cum ſpe meliore moriendi? Neque tamen vitupero, ſi quis Chriſtum ſpiritualiter amplexus iuſta

de

de cauſſa lautitiis iſtis ſacramentalibus, niſi die, loco, tempore ſtato procurentur, abſtineat.

VI. At *imparatum ad hoc epulum ſubinfert ſe, quicunque animum ſuum non componit, niſi quia feſtum inſtat, aut receptus id mos exigit.* Felix ille animi, qui ſe domino toties in ſolidum ſacrificium immolat, quoties mortis Chriſti memoria celebratur.

VII. Si celebras ipſe, neque breuis eſſe labora, neque prolixus vltra quam & inſtituti rationi, & eorum moribus conueniat, quibuscum verſaris. Plures iuuabis, & lucrifacies, ſi non ipſe tibi, non ſtudio tuo te, ſed vniuerſis & ſingulis collegis emancipans, omnium commodis aperte ſtudebis.

CAPVT XI.

Animæ fidenti nihil perinde gratum, acceptumque esse posse, ac Christi corpus, & S. scriptu-ram.

Vox discipuli.

SVauissime Domine Iesu! o quam iucunditati se dat, o quam in adipato defæcatoque conuiuio, de lautitia non efferenda gloriatur anima pia, quæcunque tecum epulatur! Nihil enim adponitur mensæ, quod edat, & bibat, extra te solum, qui potissimum palato satisfacis, & cui propterea tota mente studet.

II. *Mihi* quidem *auro, obrizoque longe iucundius eueniret, si modo coram te lacrimas ab intimo corde funderem, quibus* ad exemplum Magdalenæ, *pedes tuos rigarem*; ceterum orbe terrarum relicto, quo te recepisti religionis ardor? vbi latent vultus præ ploratu squalentes? sine dubio, spectante Deo,

Deo, mentibusque beatis, ardere mihi debet animus, & præ gaudio vbertim flere; nam inter accumbendum, advmbratum quidem, & repræsentatum, at præsentem Dominum agnosco.

III. *Domine, tanti splendoris es, vt ad vultus tui maiestatem & ipse caligem, & mecum mundus.* Vtcunque *in eo me delecto, lætor in eo, triumphoque, quem omnes angeli cælestes adorant. Hoc autem ago* non in ipsa re, & sine nube, vt angeli, sed *in rei fiducia*, per fidem ambulans, & custoditus ad salutem, vltimo tempore exhibendam, quando dies illucescet, vmbræque facessent. Nam cum venerit perfectum, omnium sacramentorum vsus intercidet. Sacramentalibus adminiculis opus non habent *beatæ mentes*, quoniam in conspectu Dei sine vlla intermissione se iactant, & *eius maiestatem coram intuentur*, in eandem imaginem transformati splendore perpetuando,

sermonemque carnem factum, vt is erat a principio, æternumque manet apud Deum, *deguſtant*.

IIII. *Dum in iſtis totus ſum, aliorum ſolaminum*, etiam ſpiritualium, propemodum *me tædet*. Niſi Dominum meum luce, decoreque verendum oculis meis vſurpem, *quidquid aliud cerno, vel audio, ne titiuilitio quidem id redimendum arbitror*. Teſtis es ipſe, Deus mi, nihil vspiam eſſe, quod animum meum tibi deditum ſoletur, aut confirmet, extra te, quem ætatem intueri cupio. Hoc autem, quamdiu moram hic traho, nunquam eueniet. Quamobrem *mihi patientia opus* eſſe intelligo, *qua* tibi me, ſtudiaque mea libentiſſime permittens, & voluntatem tuam exſequens, *aliquando tandem victoriam reportem*. Qui tibi vixerunt addicti, cæloque iam locantur, antequam hinc emigrabant, obſtinate durarunt, exhibendam olim gloriam fide, tolerantiaque notabili præſtolantes.

tes. Quod illi crediderunt, id ego credo; quod illi sperarunt, id ego quoque spero; & quo peruenerunt illi beneficio tuo, Domine, confido, me peruenturum etiam. Interea, toto pectore incumbam operi; progrediar arans in fide, speque triturans, & *sanctorum tuorum* rebus gestis animatus. *In vitas* enim *omnium*, *tanquam in speculum*, *inspiciam*, *atque ex aliis sumam*, quod excellentissimum est, *exemplum mihi*.

V. Quid igitur faciam? in eum iam res locum rediit, vt, si me velim esse saluum, duo minimum compareant, absque quibus vita mihi vitalis non erit: donec enim in corporis huiusce carcerem condor, *opus habeo cibo*, *lumineque*. *Corpus ergo tuum mihi*, tam valetudine, quam natura vacillanti, in *animæ*, corporisque *alimentum* dono dedisti; nec non oracula, dictaque tua lucernam meo pedi, lucemque itineri posuisti. (*u*) Siue hoc, siue illud lo-

 quor,

(*u*) *Ps.* 119. *v.* 105.

quor, altero, vel vtroque carens, videre non possum amplius. Nam *diuinus sermo lux animæ*, sacramentumque panis est vitalis. Vnde, si non egredimur ærarium ecclesiæ, *binæ tabellæ* videri possint, *quarum vna pane adposito* ante Deum perpetuo *nobilitatur; altera lege diuina fulget*, sanam doctrinam complectente, *veram fidem proponente*, rectaque tendente ad interius siparium, quod hyacintho, purpura, cocco, byssoque contextum, sanctum sanctorum recludit.

VI. *Est tibi gratia*, Domine Iesu, lex æternæ lucis, de doctrinæ tabella, nobis ministerio vatum, apostolorum, doctorumque data. *Est etiam tibi gratia*, Creator & Redemtor hominum, qui sic amasti mundum, & in istius affectus significationem instruxisti cœnam, &, quod comedamus, adposuisti mensæ tuum ipsius corpus, & sanguinem. Ita namque fidentes omnes admirandum in modum lætificas, & poculo desiderii di-

dicam, an salutis omnibus Paradisi deliciis spumante, exhilaras. Nobiscum conuiuantur angeli, sed maiore iucunditate perfunduntur.

VII. O magnum augustumque munus famulantium! Ministris namque datum est sacramentum Domini, Deo quasi proprium, verbis solemnibus addicere, manu prehendere, labiis honorare, ori admouere, & cæleste beneficium, ad Dei gloriam, aliis etiam administrare. Quam mundæ debent esse manus istæ, quam defæcatum os, quam emaculatum cor, quod ingredi dignatur auctor ipse elegantiæ, modestiæque? Nihil nisi purum, nihil nisi amabile, nihil nisi commodum, & vtile, & fructum ferens, exibit ex illo ore, quod Christi mysterium toties accipit. Simplex oportet sit, & castus oculus, qui Christi corpus intuetur; pura manus oportet sit, & ad cælum extensa, quæ tangit eum, a quo condita sunt omnia. Sacerdotes vnice spectat, quod lex habet; E-

ſtote ſacri, nam ſacer ego ſum Deus. (x)

VIII. Quacunque in re nobis erit opus, adſis nobis Deus omnipotens, idque pro tua beneficentia, quo ſacerdotio inaugurati, digne tibi perfungamur, optimeque nobis conſcii ſimus. Quod ſi tanta, quanta debemus, innocentia neque viuimus, neque aram tuam circumdamus, largire tamen, vt quæcunque peccauimus, auerſati, miſericordiam a Domino conſequamur, & ſtudio, beneuolentiaque maiore in poſterum tibi ſeruiamus.

CAPVT XII.

Omni cura, ſtudioque præparare ſe debere rite communicaturum.

Vox dilecti.

PVrus ſceleris ego ſum, amator, & auctor ſanctitatis, ipſa munditie mun-

(x) *Leu.* 19. *v.* 2.

mundior. Vbique mentem explorans, & renes, mihi cor humanum in domicilium quæro, & inuentum, quasi meam possessionem habito. *(y) Ite stratum, instructumque mihi mansionem, vbi Pascha cum meis discipulis polluceam.* Si cupis, vt ad te veniam, & apud te maneam, *expurgato vetus fermentum, (z) animumque ad Dei habitaculum lustrato.* Mundum totum, turbamque scelerum integram exesse procul iubeto; qualis est solus in tecto passerculus, sedeto, de tuis commissis sæpe multumque cum animi tui ægrimonia cogitans. *(a)* Quisquis amat, is amico suo mansionem primam, excellentissimamque in antecessum exornat, vt affectum suum ita quodammodo demonstret.

II. *Caue tamen existimes, vllo tuo studio, vel industria posse Deo dignum hospitium adaperiri,* licet id annum in-

(y) *Luc.* 22. *v.* 8. (z) 1. *Cor.* 5. *v.* 7. (a) *Ps.* 102. *v.* 8.

tegrum, & quod excurrit, egeris: *mea clementia*, meum vnius beneficium *est*, si pauper, & vlceroſus inuitaris, & manum etiam in menſam meam porrigis: nec reperies, quod præter actionem gratiarum mihi rependas. Quantum in te ſitum eſt, *fac omni* officio, ac potivs *pietate*; non quia mos is eſt tibi, neque quia neceſſe habes, ſed *timide*, *trepideque cum animi ſimplicitate*, tanquam recipiens corpus Domini, qui dignatur in te deſcendere. Ego ſum, qui vocaui te: quod fit, id ego fieri præcepi; me vide: tuam egeſtatem abundantia mea ſupplebo. Profectionem adornato, venito, & accipito me.

III. *Si tibi largior ardoris beneficium, immortales age* Deo tuo *gratias*, non, quia dignus es ipſe, qui caleſcas; ſed *quia Deus conditionem tuam miſeratus eſt. Si non incaleſcis*, at magis adhuc & magis areſcis, *incumbe* pro virili *ſupplicationi*, & ingemiſce, & pulſa; *nec prius omit-*

omitte, quam idoneus euadis ad auxilii ſalutaris accipiendum micam aliquam, *guttulamue.*

IIII. Me quod attinet, cum vitam omnibus, & flatum, & omnia conferam ipſe, neq. tui, neq. vllius ſum egenus: at tu, quia recte non habes, eges me medico: neque venis huc, vt ſanctum me reddas! ſed ego commodum, & ad tempus occurro, quo tu reddare ſanctior. Adhæc, tu venis, vt ope mea ſanetis, vt in ſocietatem mecum committare, vt in integrum meo beneficio reſtituare, & ad frugem exſtimulere; noli dotem, qua præditus es, negligere, ſed accingere, viam omni ſtudio para, dilectumque tuum, tibi cariſſimum, in animum penitus admitte.

V. Ne quid fiat ſecus, quamuis, quamque oportet, age, *ad ſtudium te ſerio compone non ſolum ante, verum etiam a menſæ communicatione. Non minor eſt virtus, quam quærere, parta tueri*; vide ſis igitur, ne non ad cuſtodiam i-

gnis aduigiletur; si fidus & assiduus es, nec de statiuo præsidio deturbaris, ecce, rebus iam ad tranquillitatem accommodatis, ad maius beneficium acquirendum optime præpararis. Inepte molitur aliquid, quisquis in exterioris lætitiæ gesticulationibus se nimis effundit. Profanas verborum futilitates euitato. *Recessus, & solitudinis amans fruere Deo tuo:* nam in eo te delectas, eo gaudes, eum possides, quem totus terrarum orbis eripere tibi nequit. *Is ego sum, cui te totum dare debes, vt in posterum non in te, sed in me sine solicitudine viuas in perpetuum.*

CAPVT XIII.

Id frangenti panem est in votis antiquissimum, vt vnus quasi animus in eucharistia fiat cum Christo.

Vox discipuli.

QVis mihi dabit, vt, vrbem, & vicos, & fora perlustrans, te solum inueniam, quem ex animo diligo,

go, & fruar, & tibi libere, dum nos inter nos sumus, quidquid in visceribus occultatur, aperiam. Certe quidem ratio, vitæque meæ moderatio postulat, ne quis hic interueniens me respiciat, aut obseruet, aut disiungat, quo minus, si tibi libet, nos inter nos cognoscamus, & interloquamur, & conviuemur, quemadmodum inter caros, amicosque amat fieri.

II. Magnum est, quod paro; magnum est, quod exspecto: sed, quam possim obnixe, *hoc oro*, hoc rogo, hoc obsecro, hoc votis omnibus exopto, *vt*, creatis rebus omnibus repudiatis, *soli dilecto meo adhæream*, vt intimis sensibus misceamur, vt pari voluntate concinamus. Iterata namque corporis, & sanguinis tui participatione, magis indies, magisque perdiscet aliquando tandem discipulus tuus supera sentire, liquidæque voluptatis partem aliquam degustare. *Ah! Domine Deus, quandonam tecum in vnum adolescam?*

ſcam? quando mei prorſus oblitus, ad nutum tuum vnice componar? quando me ſic abſorbebis, vt meus amicus meus ſit, & ego eius?

III. *Vere meus es dilectus, (b) o præ-late cunctis millibus*; mihi ſolus es & electus, & peracceptus, in cuius amicitia, clientela, fideque, toto vitæ meæ tempore lubentiſſime manebo. Tu mihi pacis auctor, tu tranquillitatis arbiter audis; *extra te nihil vſpiam eſt, niſi labor, ærumna, calamitas, & exitium.* At Deus es, qui te occultas, neque conſilii tui participes habes impios; *(c)* ſed *vexatos* interim, & de gradu deiectos *alloqueris, & alloquendo recreas.* O quam ſuauis eſt, Domine, ſpiritus ille tuus! Nam, quo tuis alumnis læta nuntiares, inuitas, vt pane veſcamur ſuperne deſcendente, nectareque dulciore. *Quæ tanta gens, ad quam Deus accedat, vt ſolet Ichoua Deus noſter, quoties eum inuocamus?*

Is

(b) *Cant.* 5. *v.* 10. (c) *Prou.* 3. *v.* 32.

Is tenues ab humo ſuſcitat, & pauperes a pædore ad cælum attollit, & in perpetuum eorum nutrimentum, ſeipſum præbet comedendum.

IIII. An vllius gentis nomen ita proditum eſt, vt Chriſtianorum? quæ magis dilecta natio fuit vnquam, quam mens Dei metuens, ad quam accedens Numen ipſum alloquitur nocte, carnemque ſuam in alimoniam impertit? o beneficium ineffabile! o ſtupendam, nec hactenus auditam accommodationem! o tam potentem, quam eſt mors, amorem! o amorem in genus humanum vniuerſum collatum, qui nullos ſibi fines, nullos terminos conſtituit!

V. Si non ii ſumus, qui debemus eſſe, *nullum non lapidem mouebimus, vt benevolentiæ diuinæ pari*, ſi res feret, *obſequii ſignificatione reſpondeamus*. Quod ego dem aut rependam, nihil habeo; neque quidquam excogitari poteſt magis acceptum, quam ſi men-

mentem totam meam immolem, oculosque diuinis institutis oblectem vnice. Nam simul atque mea mens in societatem tecum, Domine, committitur, exsultabunt intima, præcordiaque gaudebunt. Tum vsus me familiariter, stipulaberis in hæc verba, ac dices: apud me si fueris assiduus, ego adero tibi; ego gratus & acceptilans respondebo: *Dignare modo*, Domine, *adesse mihi, & ego singulari pietate tecum permanebo.* Totum hoc est studium, totumque desiderium mevm; hoc est, Domine, quod omnino cupio, suspiroque. Nihil autem est amabilius, nec copulantius, quam morum similitudo bonorum. *In quibus* enim *eadem studia sunt, eædemque voluntates, in his fit, vt æque quisque altero delectetur, ac seipso: efficiturque id, quod in amicitia solet, vt vnus fiat ex pluribus.*

CAP.

CAPVT XIIII.

De fidentium quorundam ad Christi corpus recipiendum animo fervente.

Vox discipuli.

O Quam multa sunt bona tua, Domine, quæ tui metuentibus recondidisti! quotiescunque subit animum, ardore quanto, quamque frequenti conuentu viri vere pii convolare solent ad eucharistiam, ego pudore suffundor, turpiter frustror, fœdeque retrocedo. Me namque, quod fateor, in itinere sacro languor, & tepor, & frigus sic occupant, vt ipse me sentiam esse rem reiiculam, incultam, desertam, veternosam, & propediem ad vastitatem redigendam. Solis accessum non cognosco; coram te, Deus, vbi compareo, nec purgo manus, nec animum lustro, nec totus ardeo, nec eo trahor impulsu, quo solent, qui præ studio summo frangendi panem, se

se non potuerunt, a lacrimis; continere.

II. Deum illi quidem, bonorum omnium fontem, affectione Deo digna desiderarunt, nec aliter, quam tuum corpus comedendo, famem suam solari potuerunt. O facile studiosissimam tuorum famulorum fidem, grandeque diuinæ præsentiæ testimonium! Vere quidem in frangendo pane Dominum internoscebant illi,(*d*) quibus, dum eos in via Iesus salutat & alloquitur, non potuit non ardere vehementer animus.

III. *Eheu!* studium id genus, *& amor, & religionis incendium mihi desunt. Propitius esto mihi, dulcis & benigne Iesu; inopem fer, & pauperem tecum conuiuantem, quo, post gustatum de cælo panem, fides alatur, corroboretur spes, incendatur caritas, nec vnquam defetiscantur, donec ad exoptatos exitus prouehantur.*

IIII.

(*d*) *Luc.* 24. *v.* 30.

IIII. Beneficii quantumcunque est, quod expeto, potest id & suppeditare mihi tua clementia, & impertiri quoque, quando tibi placet, impigrum, feruensque tui desiderium. *Quamvis ad rationem, & modum eorum, qui tibi singulariter addicuntur, non incalesco, tamen annuente te, noctu te cupiam, & auida mente semper inuigilans, omnibus precibus vbique contendam, vt efflictim te depereuntium numerum augeam ipse*, & eorum contubernio quasi socius adiungar.

CAPVT XV.

Ardoris beneficium animi demissione, suique denegatione obtineri.

Vox dilecti.

BEneficium hoc ardoris, quod faces & stimulos animo subdit, & sedulo perquirere debes, & obnixe rogare, & exspectare tacite, & grate

te accipere, & ſubmiſſe cuſtodire, &, ſi pote, diligenter vti, nec non rationem, & modum, & tempus, quo tui cura cælitus habetur, Deo ſoli committere definienda, donec ad te reuenerit ipſe benevole.

II. Si, quod experiris, auxilium minus fere nihilo ſit, eo te magis in conſpectu Dei ſubmittes: neque tamen animum deſpondebis, aut extra ordinem excruciaberis: nam horæ momento non raro dat Deus, quod diutine diſtulit, aut denegauit. *Certo quidem largitur ille: ſed crebro non ante certamen extremum;* dum orandi finem facis, largitur, quod ab initio non impetrabas.

III. Si continuo, ſi nec opinato, vel ſimul atque petis, opitularetur & ſubueniret Deus, certe, ferendo non eſſet imbecillis frater. Agedum ergo, noli beneficium arrogare tibi, ſed *exſpecta*, quam potes, *humillime*, *atque ea*, *qua decet*, *patientia*, *peccatis inte-*

interim tuis, tibique vitio vertens, quod non conceditur, aut ſtatim *aufertur opportunum auxilium.*

IIII. Modicum eſſe videtur interdum, & prope deſpiciendum, aut pro nihilo putandum, *quod influxum, illapſumque diuinum impedit*, aut vultum hominibus ſubtrahit: at modicum profecto non eſt habendum, quod tantum intercipit emolumentum: verum cuiusmodicunque ſit, ſiue magnum, ſiue paruum; id *ſi tollis e medio, perfecte vinces, & quidquid poſtulaueris, id tibi continget.*

V. Quamprimum tota mente, totoque animo te Deo dedas, oportet; *non ardua tibi, difficiliaque pro libitu tuo propone, ſed arbitrio diuino te totum trade, & adquieſce; ſic officio tuo perfungeris, & tibi res ſuccedet ex animi ſententia.* Nihil enim æque palato tuo ſapiet, nihil æque te iuuabit, ac ſi te totum ad reliquam voluntatem diuinam finxeris, & compoſueris.

Quis-

Quisquis igitur res omnes creatas adspernatur, & mentem suam ab operibus mortuis expurgans, tantum ad Deum adplicat, is idoneum maxime discipulum percipiendæ gratiæ se reddit.

VI. *Amat plerumque Deus beneficia*, quæ distribuit, *in dolia vacua transfundere, eademque ad summum vsque replere.* Quanto caducis rebus citius, quanto ipse tibi renuntias perfectius, crucemque tuam tollis, & tibi moreris, tanto celerius illucescet tibi gratia, copiosius intrabit, & cor altius eleuabit. Inde tranquillitatem senties, &, tanquam in pacato mari, malaciam. Tunc videbis, & affluës, & aduersis rebus animum tuum explicabis, idque quia diuina manus adest, cui te totum in perpetuum regendum permisisti.

VII. *Felix est, quicunque se Deo fidelem, sincerumque præstiterit, nec cor suum frustra comederit. Is enim cum ani-*

animo suo Deum commiscet, & efficit pene vnum ex duobus in eucharistiæ participatione; vsque adeo neque suum studium quærit, neque solatiolum venatur, sed vltra studium omne, solatiolumque, quod ei prosit, diuinum decus, & gloriam aucupatur.

CAPVT XVI.

Vsus omnes nostros euoluendos esse Christo, & eius opem obnixe requirendam.

Vox discipuli.

NVnc illud est profecto, quod & avidis vlnis, & votis antiquissimis circumligare te velim, amantissime, dulcissimeque Domine, quem præcordia mea totum spirant. Imbecillitatem meam egregie tu tenes; scis, quos fero, dolores, nec, quibus, aut quot, aut quantis calamitatibus sim impeditus, oppressus, labefactatus, ignoras. Ecce! membra metu debilia

contremiſcunt; animus timore propemodum obſtupeſcit; neque tamen frangor inſanabiliter: Quin potius ad te, maxime Deus, accedo in tempore, & propius, hæreoque complexu, ſpem, ſalutem, auxilium, conſilium exſpectans.

II. Deum iam alloquor, omnium, quæcunque in hominum, aut geniorum diſceptationem cadere poſſunt, intelligentem: Deum appello, cui nuda reſupinaque patent intima, quique ſolus in aduerſis omne genus reficere me, firmareque potes.

III. Deus mi, probe noſti, quibus adminiculis egeo, quamque ſim, vbi ratio virtutis habetur, ærumnoſus, & miſer, & egenus, & cæcus, & nudus: eoque magis indulgentiæ tuæ limen obſideo, beneficium implorans erga mendicum, & miſericordiam obteſtans.

IIII. Bone, benigne, pollens Deus, audi; eſurienti ſubueni, veternum excute

cute mihi; frigus meum amoris igne flagret, & cæcitas aduentus tui claritate faceſſat.

V. Quo reapſe mutem conſilium, aut ſolum vertam, quæcunque placent, detinentque terreſtria, reddantur, obſecro, mihi peracerba, cadaueroſaque; quæ vero meis humeris imponuntur, quaſi portatu difficilia, patientia mea mihi fiant leuiora; quæ denique circumſtant ſordidiora, & inquinatiora, deprimantur ope diuina, & ſub pedibus conculcentur.

VI. Quandonam ad æthram vſque cor elatum in te, Domine, requieſcit? *Dum in hac terra caſibus humanis ingemiſco, quæſo ne me ſinas latum vnguem a præceptis tuis auocari.* Fac potius, vt æui futuri virtutes magis indies magisque deguſtans, extra te nihil auide mihi putem adpetendum. Solus enim cibus es, potusque meus, ſolus amor, deliciæ, lux, voluptasque.

VII. *O ſi numine tuo me totum in-*

flammares, & tui similem præstares! ita namque tecum in vnum spiritum coalescerem, & amoris incendio colliquescerem. Hoc quidem vtique perficies, si me nullo modo patiaris tantillum abs te diuelli ieiunum & aridum, sed ita me clementer tractes, vt soles alumnos tuos.

VIII. Equidem, per mihi mirum non videtur, si tuum ad arbitratum componendus, igneſcam, & meæ sponte mihi moriar, quandoquidem es ipse cum semper ardens ignis, & nunquam exstinguendus, tum amor humanum cor admirabiliter expurgans, & mentem illustrans.

CAPVT XVII.

Super amoris incendio, vehementissimoque studio Christum suscipiendi.

Vox discipuli.

DEI cupidus sum inprimis, in occursum auctoris mei venerabundus progredior; tali namque

que religione iam, desiderioque Dominum meum excipiendi, teneri me sentio, quali *sæpius inflammabantur in eucharistia, quicunque Deo maxime placuerunt.*

II. O Deus! vnus es, & omnia mihi, meus amor, mea commoditas & faustitas, & in omnes partes interminata felicitas.

III. Equidem, accumbens mensæ libenti, gaudenti, prolixoque animo, si quis vnquam, accipere te studeo: studeo sane saturari vel micis e mensa decidentibus; at quanto magis ambitionis sum manifestus, id insuper agens, vt ipsi domino mecum nunc intercedat hospitium?

IIII. Quod fateor, ardoris igniculis vllis indignum me reor; vtcunque, singularem animi caritatem tibi, Domine, repræsento, ac, nisi me fallit, haud minus integre, quam si solus acceptis tibi, pergratis & feruentibus officiis abundarem. Summo quoque

ſtudio, Domine, tibi repræſento, quidquid religionis accenſus homo, Deoque plenus, aut in animum ſuum inducere potuit vnquam, aut affectare: ad me vero quod attinet, nihil omnino mihi reliquum feci, ſed me totum, quantus, quantus ſum, & omnia mea, ſponte, gratis, alacriter numini tuo conſecraui, qui Deus meus es, & auctor, & ſoſpitator, idque, ſi qua fides, affectu non alio, quam ipſe vis, & amas.

V. Vnde, quod audeo ſperare, nec obſeruantia minore, nec alia fide, vel caritate, nec alia voce Deum hodie ad ima viſcera nitor admittere, quam admiſit olim accepta Deo virgo mater, angelicam orationem exaudiens: *Ecce me Domini ſeruam; eueniat mihi ita, vt tu dixiſti.* (u) Huc quoque, ſi placet, accedat præcurſor tuus, vir excellentiſſimus, qui nondum in lucem editus, vt Numen tuum agnoſceret,

(u) *Luc.* 1. *v.* 31.

ret, (x) in aluo matris exsultauit: nec ita multis post annis, idem, vbi Iesum inter homines ambulantem adspexit, humiliter, officiose, demisseque philosophatur, docens amicum sponsi, qui & adstat, & eum audit, ex sponsi voce voluptatem capere. (y)

VI. Proin, nihil est omnium, quod malim, quam vt ipse chorum te laudantium adaugens, piisque postulatis abundans, tam memetipsum integrum, quam mecum etiam pericula, triumphos, æstus, excessus, & collustrationes sanctorum omnium tibi immolem. Quod si præterea quid virtutis, & honoris, & laudis inuenitur vspiam, id quoque clementiæ tuæ non meo quidem vnius, sed publico nomine libarem: idque de industria, quo tu solus & omnia sis, & in omnibus admirandus in secula.

VII. Nec irritum sit vllum, quod ex animo tibi nuncupatur, votum, sed ad

(x) *Luc.* 1. *v.* 41. (y) *Ioh.* 3. *v.* 29.

aures tuas recte perueniat, Domine, meum hoc & celebrationis, & gratiarum actionis, & amplificationis diuinæ ſuſpirium; nam id ego tibi non modo nullo non temporis veſtigio reddam, ſed & ab aliis eodem vultu, eadem fronte, voce, voluntate reddi, quoad eius fieri poſſit, accurabo.

VIII. Quid cunctamini? Vobis edicitur, populi, nationes, linguæ, nomen diuinum ad cælum efferte, collaudate, concelebrate, geſtite, qua pote, lætitia, ceremoniaque.

VIIII. Equidem, neque in precibus, neque in optatis, neque in votis, quibus Deum fatigo, contendere deſinam, vt vniuerſi, ſingulique pietatis alumni, in cœna cum fructu ſemper participent, fide recipiant, & apud Dominum tum ipſi pro ſe clementiam inueniant, um indulgentiam impetrent pro ſontibus aliis, quorum vel primus ego ſum. Quoties autem in epulo proſpere, valdeque ex voluntate ſuccedit illis,

illis, & exquisitissimis dapibus expleti, tanta voluptate afficiuntur, quantam animo capere maximam possunt, toties eos, vt bene spero, nequaquam pigebit me quoque in memoria habere.

CAPVT XVIII.

Arcanum eucharistiæ docetur homo non tam minute perscrutari, quam humili penicillo, si posset assequi, Christum imitari, fidemque suam non in hominum sapientia, sed in Dei virtute collocare.

Vox dilecti.

NIsi fluctuare sine fine cupis, & ad extremum in maris æquor demergi, non est inane tibi super eucharistia cudendum, & recudendum examen: (z) Scrutator enim maiestatis opprimetur a gloria. *Caue putes, me non posse plus efficere, quam ipse es intelligendo.* II. *Ve-*

(z) *Prou. 25. v. 27.*

II. *Veri quidem inquisitio, atque investigatio placet: at modesta sit, & eruditi contenta*, nec sibi plus arroget, quam pro fidei modo, quem & cuique Deus impertiuit, & recte inculcarunt antiqui patres.

III. In fidei rebus valet plurimum simplex illud, & sincerum iudicium, quod stultas, & indoctas, & a diuinis litteris abhorrentes quæstiones, hoc est, tendiculas & spineta religionis omnino declinat, ipsumque Deum audit, & in eius semitis insistit.

IIII. Sunt, qui, dum prima rerum cum Manete, vel grande solium Triadis assequi tentant, & vires, & corpus, & ingenium, & exemplar pietatis amiserunt. *Ingeniosa res non est, esse Christianum.*

V. Quid est, quod a te Deus exigit? an intellectus acumen? an vt animo penetres, & diuidas omne cælum? an, vt omnia, quæ sunt vspiam, etiam absconditissima Dei rimeris? minime gen-

gentium; hoc ſolum exigit, vt æquum colas, & facias, & pietatem ames, teque erga eum ſubmiſſe geras. *Indignari noli, ſi non capis occultam Dei philoſophiam.* Quæ ſunt infra te poſita, hominum negotia plerumque neſcis; ſtultitiæne mirer, ſi quæ cæleſtia ſunt, nequaquam aſſequare.

VI. Profecto, ſi Deo pares, animique ſenſum omnem fidei morigerum eſſe iubes, non ſolum in Dei cognitione, quæ prodeſſe tibi poteſt adoleſces, verum etiam magis, magisque tibi Chriſtus affulgebit.

VII. *Haud deſunt mortales, quibus in rerum ſacrarum ſtudio, moleſtiæ multum adſpergunt fides & euchariſtia.* Verum id illis non tam vitio vertendum eſt, quam humani generis aduerſario. Si ſapis, contentionis ferram noli tecum reciprocare; noli ſolicitudine perturbari; noli quid ipſi tibi videtur, inſidiis, quæſitisque ſatanæ ſingulatim, & ex inopinato reſponſare;

sare; *Deo loquenti*, si fidem hab[illegible] *cælitus afflatis vatibus*, *illico tib[illegible] gum obuertet hostis.*

VIII. Religiosis hominibus, & I[illegible] metuentibus vsui esse solet id genus haud pauca experiri, scilicet *infideles, & exsecrabiles, & improbos non tentat. nec explorat aduersarius:* nam eos integre iam possidet. Fidentes igitur ille versat, vexat, exagitat.

VIIII. Quamobrem perge, quo te vocat officii ratio; *monstratam tibi* calcatamque *cerne viam*, *per inuictæ fiduciæ vestigia*, *donec ad mensam mysticam animo summe demisso peruenias* Ibi, si quid vides, quod ipse non capis id, vt in tuto sis, Deo permitte, qui t nunquam fallet: fallitur autem, quis quis sibi nimium credit. (*) *Cum iis qui sunt ad malum simplices, minime que malitiosi, gradum conferre Deus amat:* ille se modestis patefacit, parvulis intellectum largitur, puris, & innocen-

(*) *Prou. 2. v. 7.*

entibus aperit cor: *superbientibus* [illegible]em, & *curiosius*, *quam æquum est*, *arcana perscrutantibus aut abdit*, *aut adimit auxilii beneficium.*

X. Vera fides non alucinatur; recte tamen humanis animis caliginem quandam sic offundi nouimus, vt ratio propter carnem infirma, crebro deliret, & fallat, aut non nisi per nebulam cernat: vnde debet inuestigatio, disquisitioque naturalis sequi quidem, & ancillari fidei, non autem antecedere, nec obicem ponere, *excellunt* enim *fides*, & *amor*, & admirandum in modum *operantur*, maxime vero *in sacramento.*

XI. Magnus est Dominus noster, immortalis, inadspectabilis, multarum virium, immensæque prudentiæ, qui pro arbitratu suo tam superne, quam inferne mira, & qui-

dem cum innumerabilia, tum inexplicabilia facit. Tune intima Dei perueſtiges, aut ipſam adeo perfectionem omnipotentis inuenias? *Ne eſto nimis innocens, neue nimium ſapias, ne pereas.* Si quæ prodigioſe facit Deus, homo nullo negotio comprehenderet, ea certe nec amplius obſtupeſcenda acciderent, nec ineffabilia.



IDIO

IDIOTAE VIRI SANCTI REGVLAE VITAM CHRISTIANAM COMPLECTENTES.

I.

Si homini videtur dura via virtutis, quia continue oportet nos pugnare aduersus carnem, & diabolum, & mundum, recordetur, quamcunque elegeris vitam, etiam secundum mundum, multa illi aduersa, tristia, incommoda, laboriosa patienda esse.

II. Recordetur, quod in rebus mundi diutius pugnetur, & laboriosius, & infructuosius, in quibus labor est finis laboris, & tandem pœna æterna.

III. Recordetur, stultum esse credere ad cælum posse perueniri, nisi per huiusmodi pugnam: sicut & caput nostrum Christus non adscendit in cælum, nisi per crucem, nec debet serui conditio melior esse conditione Domini.

IIII. Recordetur, non ſolum eſſe ægre ferendam hanc pugnam, ſed optandam etiam, ſi nullum inde nobis præmium perveniat: ſolum, vt conformemur Chriſto Deo & Domino noſtro. Et quoties reſiſtendo alicui tentationi, alicui ex ſenſibus tuis vim facis, cogita cuinam parti crucis Chriſti conformis reddaris. Et quando regulæ reſiſtens, guſtum affligis, recordare illum felle potatum & aceto. Quando manus retrahis a rapina alicuius rei, quæ tibi placet, cogita manus illius pro te ligno crucis affixas. Et ſi reſiſtis ſuperbiæ, recordare illum, qui quum in forma Dei eſſet, pro te formam ſerui accepiſſe, & humiliatum vsque ad mortem crucis. Et quum de ira tentaris, recordare illum, qui Deus erat, & omnium hominum iuſtiſſimus, quum ſe tamen videret quaſi latronem & illudi, & conſpui, & flagellari, & opprobriis omnibus affici, & cum latronibus deputari, nullum tamen vnquam aut iræ, aut indignationis ſignum oſtendiſſe, ſed patientiſſime omnia ferens, omnibus manſuetiſſi-

me

me respondisse. Et sic discurrendo per singula, inuenies nullam esse passionem, quæ te Christo aliqua ex parte conformem non efficiat.

V. In illius armis, nec in quoquam alio humano remedio confidas, sed in sola virtute Iesu Christi, qui dixit: confidite, ego vici mundum; & alibi: princeps mundi huius eiicitur foras. Quare & nos sola eius virtute confidamus & mundum posse vincere, & diabolum superare. Et ideo debemus semper petere eius auxilium per orationem ardentem.

VI. Recordare, quum vnam vicisti tentationem, semper aliam esse exspectandam, quia diabolus semper circuit, quærens, quem deuoret. Quare oportet semper servire in timore, & dicere cum Propheta, super custodiam meam stabo.

VII. Vide ne vincaris a diabolo, quum te tentat, sed vt vincas ipsum. Et hoc est, quando ex ea re, vnde te tentauerat, occasionem sumis alicuius boni. Vt si opus

bonum aliquod tibi offert, vt inde in vanam gloriam incidas, tu illud ſtatim non opus tuum, ſed vt beneficium Dei cogitans humilias te, & iudicas, parum gratum te eſſe Deo de beneficiis eius.

VIII. Quum pugnas, pugnes quaſi vincendo, deinde perpetuam pacem habiturus: quia forte hoc tibi dabit Deus ex gratia ſua, & diabolus amplius non redibit, confuſus de tua victoria. Sed quum viciſti, geras te quaſi mox pugnaturus, vt in pugna ſemper ſis memor pugnæ.

VIIII. Quamuis te ſentias vndique bene mu im & paratum, ſemper tamen fugi occaſiones peccandi, quia, vt dicit ſa ens, qui amat periculum, peribit in illo.

X. In tentationibus ſemper in principio occurras, & allidas paruulos Babylonis ad petram. Petra autem erat Chriſtus: Quia ſero medicina paratur, cet.

XI. Recordare, quod, licet in ipſo con-

conflictu tentationis ardua videatur pugna, tamen longe dulcius sit, vincere tentationem, quam ire ad peccatum, ad quod te inclinat. Et in hoc multi decipiuntur, quia non comparant dulcedinem victoriæ dulcedini peccati, sed comparant pugnam voluptati, & tamen homo, qui millies expertus est, quid sit cedere tentatio i, deberet semel saltem experiri, quid sit vincere tentationem.

XII. Propterea, quod tentaris, ne credas te a Deo derelictum, aut Deo parum gratum esse, aut parum iustum & perfectum. Memor sis, quod postqua Paullus vidit diuinam essentiam, pat atur tentationem carnis, qua permittebat Deus eum tentari, ne de superbia tentaretur. In quo etiam homo debet aduertere, quod Paullus, qui erat vas electionis, & raptus vsque ad tertium cælum, tamen fuerit in periculo, ne de suis virtutibus superbiret, sicut ipse dicit de se: *ne magnitudo reuelationum extolleret me, datus*

tus est mihi stimulus carnis meæ, qui me colaphizet. Quare super omnes tentationes homo debet maxime se munire contra tentationem superbiæ, quia *radix omnium malorum superbia est*, contra quod vnicum remedium est, cogitare semper, quod Deus se humiliauit pro nobis vsque ad crucem, *& mors nos vel inuitos eo vsque humiliabit, vt simus esca vermium.*

FINIS.

Errata.

Pag.	*lin.*	*pro*	*lege*
36	1	pa-	para-
71	3	tum	dum
74	17	tum	dum
79	10	Expetit	Expedit
125	17	volendi	volenti
129	1	fero	vero
135	5	impedimendo	impedimento
232	9	amandi	amanti
273	8	intns	intus
293	16	vult; vti	vult vti;

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1857201116/phys_0452
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1857201116/phys_0456
DFG

NCTI
ANAM

utis, quia
re aduer-
ndum, re-
is vitam,
lta illi ad-
orioſa pa-

ous mundi
s, & infru-
is laboris,

ſe credere
per huius-
t noſtrum
n, niſi per
tio melior

IIII. Re-

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No.
Patch Reference numbers on UTT
C1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 20 18 17 16 11
10 09 03 02 01 C7 B7 A7 C8 B8 A8 C9 B9
the scale towards document
mm Inch
4.5 5.0 5.6 6.3

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1857201116/phys_0457
DFG